DE

IGNOTIS NONNVLLIS ANTIQVISSIMIS HEBR. TEXTVS

EDITIONIBVS

AC

CRITICO

EARVM VSV.

ACCEDIT

DE

EDITIONIBVS HEBRAEO BIBLICIS

APPENDIX HISTORICO CRITICA

AD NVPERRIMAM

BIBLIOTHECAM SACRAM

LE LONGIO - MASCHIANAM.

EDIDIT

IOAN. BERN. DE ROSSI

PVBL. IN REG. PARMENSI ACADEM. LING. O. O. PROFESSOR
AC THEOL. FAC. VICE PRAESES.

ERLANGAE

SVMTIBVS IOANNIS IACOBI PALM.

cIↄ Iↄ CCLXXXII.

Digitized by Google

CAROLO. FRANCISCO

BALDASSARI

COMITI. DE. PERRON

SVPREMI. ORDINIS. EQVITI. TORQVATO

VICTORII. AMEDEI. III

AVGVSTI. REGIS. SARDINIAE. PRIMO. A. SECRETIS

TOTIVSQVE. REGNI

AD. RES. CVM. EXTERIS. PRINCIPIBVS. GERENDAS

ADMINISTRO

VIRO

GENERIS. AMPLITVDINE. FVNCTIS. LEGATIONIBVS. FIDE

DEXTERITATE. SAPIENTIA. SPECTATISSIMO

VERAE. VIRTVTIS. LAVDE

REGVM. PRINCIPVM. CIVIVM. STVDIA. SVMMOSQVE. HONORES

PROMERITO

Digitized by Google

CIVI. SVO. OPTIMO. SVIQVE. AMANTISSIMO

IN. CVIVS. CONSILIIS. PRVDENTIA. FAVORE

IMPERII. FELICITAS. PATRIAE. SECVRITAS

LITERAE, ET. ARTES. INGENVAE

TVTAE. CONQVIESCVNT

EPORED. PROVINCIAE. ET. GENTIS. SVBALPINAE

SPLENDORI. AC. FAVTORI

BENEMERENTISSIMO

OPVSCVLVM. HOC

IN. PERPET. ANIMI. OBSEQVENTISS. MONVMENTVM

DICAT. AC. CONSECRAT

PIAQVE. PRO. EIVS. INCOLVMITATE. VOTA

D. O. M. NVNCVPAT

AVCTOR

VI. ID. MART. MDCCLXXXII.

Digitized by Google

AVCTORIS
PRAEFATIO.

Quae nos alibi, hebraicae Typographiae originem ac primitias illuſtrantes, de ſingulari antiquiſſimarum editionum hebraicarum praeſtantia, raritate, et uſu obſervavimus, ea locum habent potiſſimum in Editionibus hebraeo-biblicis. Primariae ac vetuſtiſſimae editiones ſacri Textus generatim non modo Mss. codicibus rariores ſunt, ſed et locupletiores ſaepe variorum lectionum optimae notae teſtes ac fontes, ſummique propterea in ſacra critica uſus ac pretii. De his nos fuſe et accurate agemus in novis noſtris Anna-

libus hebraeo - typographicis XV. Seculi, ſuppletis et usque ad an. MDXX. continuatis. At vero, quoniam nova, quam aggreſſi ſumus, var. lectionum collatione praepediti, longius, quam credebamus, illorum annalium editionem protrahimus, non ingratam nos rem ſacris Bibliophilis ac criticis facturos arbitramur, ſi nacta occaſione Appendicis, quam ad Bibliothecam le Longio - Maſchianam edimus, ignotas nonnullas editiones hebraeo - biblicas, quae apud nos deliteſcunt et ſervantur, earumque uſum criticum breviter deſcribamus et illuſtremus. Ideo autem criticum uſum dumtaxat attingimus, nec multas ad eum confirmandum varias lectiones, aut multos in var. lectionum praeſidium codices, quod commodiſſime pro maxima qua pollemus, copia fieri a nobis potuiſſet, coacervavimus, propterea quod luculentiſſime et uberrime in integra, quam ſuperius commemoravimus, cuiusque Programma nuperrime edidimus, var. lectionum collectione id eſſemus praeſtituri. Iam vero laborem hunc, etſi nunc tantum prodeat, iam duobus abhinc annis, et ſtatim ac primum Maſchiani operis volumen vulgatum eſt, ſuſcepimus et abſolvimus; ſuſcepimus autem praeſertim ex auctoris ipſius doctiſſimi ac celeberrimi, nobisque amiciſſimi voluntate ac con-

conſilio, qui poſtquam benevole teſtatisque non ſemel pro humanitate ſua grati animi indiciis quae illi de ignotis nonnullis editionibus ſignificaveram, exceperat, ſuis litteris enixe a me poſtulauit, ut quaecunque in opere ipſo iam vulgato, quod eius beneficio debeo, vel ſupplenda, vel emendanda animadvertiſſem, accurate recenſerem. Non ſolum autem ſuis me litteris, ſed et doctos quoslibet ad id faciendum in Praefatione ipſa excitavit vir modeſtiſſimus. „Vtinam, inquit is „pag. XI, poſſeſſoribus, qui illas editiones, quas ſicco quaſi „pede tranſire coacti fuimus, in ſcriniis ſuis adſervant, eas „publice deſcribere placeret! Quantum vario modo, vario„que tempore in deſcribendis librorum ſacrorum editionibus „erratum ſit, id probe, dum quae vario tempore collegimus, „in ordinem redegimus et praelo adaptavimus, experientia edo„cti cognovimus. Sed dum de aliorum erroribus ſermonem „iniicimus, et nos errare potuiſſe, et fortaſſis hic illic reve„ra erraſſe, haud negabimus. Qui vero et erroribus noſtris „medelam parabit, ipſi iam hic in anteceſſum gratiam refer„rimus. Pergratum nobis erit, ſi viris eruditis, ut opus no„ſtrum ad maximum perfectionis gradum aſcendat, manum ad„movere benevolam placebit." Quae porro ſupplemus vel

emen-

Digitized by Google

emendamus, id certa fide facimus, et plerumque ex auctoritate exemplarium, quae apud nos extant. Plerasque enim editiones nos ipſi poſſidemus, quas aſteriſco innuimus. Nonnullas vidimus, alias vero vel ex Lorkii Indice, vel ex Ms. Indice Amſtelodamenſi, quem illius Synagogae Rabbinus in uſus meos concinnavit ac benevole ad me transmiſit clariſſimus meique amantiſſimus Crevenna, hauſimus. Hunc autem Indicem intelligo, quum ad Ms. notam Amſtelodamenſem appello. Religioſe enim ubique duximus fontes ipſos indicare, unde editiones, quas nec poſſidemus, nec vidimus, hauſtae ſunt.

DE

DE

IGNOTIS

NONNVLLIS ANTIQVISSIMIS HEB. TEXTVS EDITIONIBVS IN AVCTORIS BIBLIOTHECA EXTANTIBVS EARVM-QVE VSV CRITICO.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAP. I.

DE V. SACRIS VOLVMINIBVS SEV RVTH ECCLESIASTE CANTICO CANTICORVM THRENIS CVM COMMENTARIO IARCHI ET ESTHERE CVM COMM. ABENESRAE IN FOL. SINE ANNO ET LOCO SED BONONIAE AN. MCCCCLXXXII.

§. I.

DESCRIPTIO.

Quo notior ac celebrior poſt marchionis Maphaei tempora evaſit Bononienſis Pentateuchi editio omnium primaria anni 1482, eo obſcuriora et ignotiora usque nunc fuerunt. Quinque haec Volumina eodem charactere, loco et anno impreſſa. Nihil de his Le Longius, Boërnerus, Wolfius, Maſchius in Sacris eorum Bibliothecis, nihil Mattairius in ſuis Annalibus, nihil ego ipſe in Commentario de Heb. Typographiae origine, etſi ex duobus membranaceis meis exemplaribus integerrimis Bononienſem Pentateuchum delinearem. Magnum ergo κειμήλιον mihi viſus ſum detexiſſe et acquiſiiſſe, quum ſacra haec Volumina tribus abhinc annis detexi et acquiſivi, magnamque me Sacris Criticis iucunditatem allaturum confido, ſi perbrevem hic eorum notitiam ſuppeditem. Sacer Textus charactere hebraeo quadrato cum punctis et accentibus exaratus eſt, commentarii vero rabbinico exiliori, factaque collatione idem prorſus uterque eſt cum charactere Pentateuchi. Nam V. haec Volumina tamquam Pentateuchi Appendicem ſine dubio edidit typographus, et quidem iam abſoluto ac vulgato Pentateucho, ut conſtat tum ex epigraphe, quae Pentateuchum excipit, ubi ſacra haec Volumina non memorantur, tum ex plerisque ac fere omnibus quae ſuperſunt, Pentateuchi exemplaribus, in quibus ea deſunt, tum denique ex plagularum numeris, qui

in Voluminibus quidem conſpiciuntur, in Pentateucho vero deſiderantur. Niſi haec obſtarent, quispiam ex litteris, quae ſaepe hic illic in hac editione deficiunt, et ex minoribus nonnullis litteris vel typis, qui ob maiorum defectum uſurpati videntur, ſuſpicari poſſet, haec Volumina Speciminis gratia a typographo impreſſa, et edita ante Pentateuchum, in quo defectus illi non apparent. In ſuperiori, et inferiori paginae parte, ut in Pentateucho locum obtinet commentarius; ſed ad latus ſacri textus non adeſt hic Targum. Sacri libri diverſo ordine occurrunt, ac primo quidem Ruth, deinde Eccleſiaſtes, Canticum, Threni et Eſther. Librorum tituli ſuperius in qualibet pagina indigitantur, quod et in Pentateucho factum eſt; nullum tamen ſupra litteras Raphe, ut in Pentateucho, conſpicitur. Elohim impreſſum eſt cum ד, et ſaepe in Tetragrammato Nomine mutatum eſt Vau in Iod. Quaelibet pagina nunc pluribus, nunc paucioribus lineis conſtat, ac prima quidem habet lineas triginta octo praeter titulum libri, ex quibus octodecim pertinent ad rabbinicum commentarium, reliquae ad ſacrum contextum. Folia ſunt univerſim viginti ſeptem, ſub quorum finem bini hi verſus leguntur:

נשלמה מגלת אסתר בת אביחיל
ההלה לאל המאזרני חיל.

,,Abſolutum eſt Volumen Eſther filiae Abichail:
,,Laus Deo accingenti me fortitudine.

Haec pag. folii recta leguntur; nam pagina verſa, quae eſt operis poſtrema, alba relicta eſt. Exemplar membranaceum eſt, ut omnia, quotquot aetatem ferunt, Pentateuchi exempla, huiusque perrarae editionis exemplar aliud extat Romae in Bibliotheca Neophitorum, ut ex Cl. Fabricy litteris intellexi.

§. 2.
VSVS CRITICVS.

Potiores varias lectiones hic illic contuli in primaria hac Sacrorum Voluminum editione, ſed eae nec multae, nec magni momenti ſunt, ut in editione ipſa Pentateuchi, et in locis, in quibus ab hodiernis diffident vetuſtae editiones, et a Maſora recedunt, noſtra haec editio conſentit. Hinc Ruth I, 1. legit in plur. בשדי, et Cant. V, 4. עליו. Paucas, quas oſtendimus, diſcrepantias hic notamus. Keri plerum-

rumque in Textu ipſo expreſſum conſpexi, ac potiſſimum in ſequentibus locis, Ruth II, 1. III, 5. 3. 14. 17. Thren. V, 1 et 3; item verſ. 5. et bis in verſ. 7. Ruth III, 13. legitur Lamed minuſculum in vocabulo ליני, et Thren. V, 5. legitur plur. צוארינו, ut legunt multi codices Mss.

CAP. II.

QVATVOR SACRA VOLVMINA SEV RVTH CANTI. THRENI ET ECCLESIASTES VNA CVM MACHAZOR IN 4. SONCINI ET CASALE MAIORE ANNO MCCCCLXXXVI.

§. 1.
DESCRIPTIO.

Alteram hanc Sacrorum Voluminum editionem Bibliographis et ipſam omnibus ignotam vix innuimus, Hebraicae Typographiae originem, et Soncinenſe Machazor anni 1486. deſcribentes. Suis quaelibet locis in hac editione Machazor occurrunt, prout occurrere ſolent in Italicis Iudaicarum precum Breviariis. Primo inter preces Paſchatis folio 2. plag. XIII. occurrit Canticum Canticorum, quod folio altero plag. XVIII. pagina verſa excipit Ruth. Sequuntur pagina verſa fol. 2. plag. XIX. I. Vol. Threni, et folio octavo plag. XVI. II. Vol. Eccleſiaſtes. Character eſt quadratus cum punctis ſine accentibus, et litterae aſpirandae lineola raphe diſtinguuntur. De reliquis, quae cum Machazor ipſo communia ſunt, conſulantur quae de eo alibi obſervavimus.

§. 2.
VSVS CRITICVS.

Plures maioriſque momenti lectiones nobis ſuppeditat haec editio, quam Bononienſis, quas in Collatione ipſa afferemus. Earum multae, quas accurate olim collegimus, nunc vero negligimus, ſitae ſunt in plenis, ac deficientibus litteris. Keri plerumque in textu ipſo reperi-

 tur,

Digitized by Google

tur, ut in editione Bononienſi. Ex potioribus aliis Var. Lectionibus ſequentes hic exhibemus.

Cant. IV, 16. pro לגנו *ad hortum ſuum* legitur hic לגני *ad hortum meum.*

— V, 4. pro עליו legitur עלי *ſuper me*, ut legunt tot aliae editiones, maxime antiquae, et innumeri codices.

— V, 14. pro בתרשיש legit כתרשיש.

— VIII, 3. pro ראשי legit לראשי.

Ruth I, 1. בשרה in ſingul. Variam hanc lectionem fuſe illuſtravimus in ſpecim. Var. Lect. Pontificii Codicis pag 61. ſeq., ubi ex verſionibus antiquis ſic legentes produximus LXX, Chaldaeum, Vulgatum, Syrum, et Arabem, ex exteris Codicibus Regiomontan. I. duos Erfurtenſes, Stutgardianum, Lipſienſem, Parmenſem Bibliothecae regiae, et ex meis quinquaginta duos, quibus nonnulli alii poſtea acquiſiti adiungendi ſunt. Ex antiquis editionibus ita legere animadvertimus Neapol. Agiographa an. 1487, Biblia Soncin. 1488, Pent. cum V. Meghiloth et Aphtaroth in 4 ſine anno et loco, Pentat. Pragenſ. an. 1518, et Karraitica huius libri editio. in Karraeorum Compendio precum anni 1529. Addantur nunc codices Kennicotiani triginta ſeptem praeter tres abraſos.

Ruth I, 2. בשדי in plur. v. 8. עשיתן Foem. ex anal. v. 19. שתיהן Foem. ex anal., ut IV, 11.

— III, 9. כנפיך plur. Plura de var. hac lectione diximus in Comm. de Typogr. Heb. Ferrar. pag. 54. ſeq., ubi in eius confirmationem plures Mss. codices protulimus.

Eccl. I, 16. בירושלם, ut habent plurimi codices Mss. et editi.

— II, 7. שהיה ſing. cum multis codicibus.

— VIII, 10. וישתבחו *et laudati ſunt* ut nonnulli codices, pro וישתכחו *et obliti ſunt.*

Pſal. LXXVIII, 72. legit בתם cum ב *In integritate*, ut legit Pſalt. an. 1477, Biblia Sonc. 1488, Bibl. Brix. 1494, Pſalter. Octapl. 1516, Pſalter. Baſil. eiuſdem anni, Machazor Sonc. tertio editum, Biblia Veneta utraque an. 1517 et 1518 ad marg., et Biblia Munſteri an. 1536 inter Var. Lectiones. Concinunt plurimi

rimi Mſs. codices, ex quibus nonnullos exteros, et ex meis quadraginta octo nuper produximus in Specim. Var. Lect. Pontif. Codicis pag. 73. Meis porro codicibus addendi ſunt quinque alii nuperrimae acquiſitionis, videlicet *640*, *644* primo, *645*, *667* primo, *670*, ut codicum meorum ita legentium ſumma ſit nunc quinquaginta trium. Cl. Kennicotius in huius lectionis teſtimonium viginti duos tantum codices producit, ut ſuſpicer plures codices fuiſſe hic neglectos ac praetermiſſos.

CAP. III.

PROVERBIA CVM COM. KAV VENAKI IN FOL. ABSQVE ANNO ET LOCO, SED VLYSSIPONE CIRCA AN. MCCCCXCII.

---

§. 1.

DESCRIPTIO.

Editio haec et ipſa ignotiſſima, cuius bina integra apud me proſtant exempla, eſt in folio minori, et incipit a Praefatione interpretis, praepoſito tamen ſuperius titulo libri משלי, ſeu Proverbiorum, et maioribus litteris — פירוש ספר משלי הנקרא קב ונכי *Commentarius libri Prov. dictus Kav venaki.* Pag. ſequenti incipit ſacer Textus, cuius prima littera maior eſt et ornata. Eius character eſt quadratus cum punctis luculentiſſimis, et idem cum charactere Pentateuchi Ulyſſiponenſis an. 1491, et Iſaiae ac Ieremiae anni 1492. Character vero Praefationis, et Commentarii, qui textum circumdat, eſt rabbinicus hiſpanicae inflexionis ac formae. Litterae aſpirationis Raphe inſigniuntur. Saepe in ineffabili Dei nomine unum ex duobus ה mutatum eſt in Cheth, ut in aliis editionibus factum. Editio conſtat foliis *60*. impreſſis et ad huius normam exarata videtur alia editio Proverbiorum cum eodem commentario Theſſalonicenſis anni 1522, quam etiam poſſideo in membrana impreſſam. Utraque extat quoque in Caſanatenſi, Ulyſſiponenſis vero etiam in Bibliotheca Collegii Propagandae Fidei.

§. 2.

§. 2.
VSVS CRITICVS.

Etſi porro conſentiat haec editio cum Theſſalonicenſi, variae tamen ſunt inter utramque lectiones, ac Prov. VIII, 16. ubi haec noſtra legit שפטי ארץ, ut legit Theſſalonicenſis altera cum Com. Raſci anni 1515, Theſſalonicenſis an. 1522. legit cum nonnullis aliis vetuſtiſſimis editionibus, et innumeris MSS. codicibus שפטי צדק *Iudices Iuſtitiae.* Veſtigia Keri multa hic retinentur, et nonnulla etiam, quae non habentur in hodiernis editionibus, ut Cap. VII, 25. Aliquando in textu ipſo exhibetur Keri, ut Cap. III, 28. Capite XXIII, 12. pro ואזניך legit ואזנך Sing. et cum Segol, ubi alia editio antiqua mutila apud me extans habet Keri, ſeu lectionem plur. numeri, puncta vero ſingularis, ſeu Sceva ſub littera Nun.

CAP. IV.

FRAGMENTVM OSEAE ANTIQVISSIMAE IGNOTAE EDITIONIS IN FOL. MINORI.

§. 1.
DESCRIPTIO.

Fragmentum hoc, quod nuperrime erui, nonniſi unicum folium complectitur, quo pars Cap. VIII. Oſeae, et integra capita IX, et X, cum initio XI continentur. Paginae duabus columnis conſtant, folia non numerantur, textus eſt abſque punctis, quae antiqua manu in hoc fragmento ſuppleta ſunt, character eſt rudis, charta antiqua; ſed divina nomina ſuis litteris impreſſa ſunt, nullumque ſupra litteras Raphe conſpicitur. Ad nullam ex notis editionibus pertinet hoc Fragmentum, niſi pertineat ad editionem Piſaurenſem ſine punctis in fol. quam nonnulli memorant, nullus vidit, noſque falſam credidimus; nec facile definiri poteſt, num ad integra Biblia pertineat, an ad Prophetas tantum poſteriores. Solum Oſeam, vel ſolos minores Prophetas editos fuiſſe non videtur admodum veroſimile. Nullus in ſuperiori paginae parte libri titulus affertur, nullum Keri, nulla nec in textu

tentu ipſo Keri nota, et veſtigium, lineisque viginti ſeptem quaelibet pagina conſtat.

§. 2.
VSVS CRITICVS.

Ex variis lectionibus, quas exiguum hoc Fragmentum ſuppeditat, eruitur, ſingularem omnino, et amaſorethicam eſſe hanc editionem, et Var. Lectionum fontem uberrimum.

Oſeae IX, 2. loco בה *in ea* legit בם *in eis* plur. et maſc., ut poſtulat analogia et ut vertunt LXX, Vulgatus, Syrus, Chaldaeus, et Arabs. Kimchius notat, ſingulare בה poni hic pro plur. בהם. Plur. lectionem exhibent ſeptemdecim Mss. Codices Kenn. Collationis, et Biblia Veneta an. 1518. ad marg. Eſt ergo noſtra haec editio unica hucusque ſaltem, quae hanc lectionem ſervat in textu.

IX, 13. legit אפרים ſine vav coniunctionis, ut ſex Codices Kenn.

X, 8. לגבעות omiſſa iterum coniunctione, lectio, cuius nulla in Kenn. Bibliis veſtigia.

X, 14. בעמך ſing., ut Biblia Sonc. 1488; et Brix. 1494. et ut antiquitus legerunt LXX. Chald. Syr. Vulgatus, et Arabs.

X, 15. loco עשה habet in fut. יעשה. LXX, et Arabs vertunt etiam in futuro, ſed in perſona prima. Nota, in Polyglottis Bibliis mendoſam hic eſſe latinam verſionem Syri *facient*, quum hic interpres legat in praeterito. Nulla etiam huius lectionis veſtigia extant in Bibl. Kennic.

Digitized by Google

CAP. V.

FRAGMENTVM APHTAROTH SEV PROPHETICARVM SECTIONVM ANTIQVAE IGNOTAE EDITIONIS IN FOLIO.

§. 1.

DESCRIPTIO.

Pertinent ad ignotum Pentateuchum huiusmodi ſectiones. Character eſt rudis valde, et antiquiſſimus, charta craſſa pro more editionum XV. ſeculi. Folia non numerantur, ſed ſolum inferius numerantur plagulae. Litterae tamen nullo Raphe diſtinguuntur, Deique nomina conſueto more ſunt exarata. Duabus columnis conſtat quaelibet pagina, et lineis viginti quinque, aliquando viginti ſex. Keri, ſeu varia marginis lectio pro antiquarum editionum conſuetudine indicatur ſolo aſteriſco, vel circulo ſupra dictiones poſito, ex quibus omnibus colligitur, editionem hanc certo referendam eſſe vel ad finem XV. ſeculi, vel ad XVI. primordia. Novem autem foliis conſtat Fragmentum quod poſſideo, et complectitur quatuordecim Aphtaras, ſeu ſectiones.

§. 2.

VSVS CRITICVS.

II. Reg. VII, 13. in Apht. מצרע bis ככל cum Caph *ſecundum omnem* legunt hodiernae editiones Noſtra utrobique habet בכל *In omni*, ut in priori loco legunt novemdecim codices Kenn. Collationis, in poſteriori tredecim.

Ioſuae II, 14. in ſect. שלח pro לא תגידו *non nunciabitis*, legit לא תג־די *non nunciabis.* Optima lectio, cui favet contextus analogia, Vulgatus interpres, et quatuordecim Codices Kenn. praeter unum dubium.

Iudic. XIII, 12. pro דבריך, melius, et iuxta analogiam legit in Sing. דברך.

Ibid.

Ibid. v. 20. pro בעלות legit כעלות cum Caph, ut novem Codices Kenn.

Nonnullas etiam in vocalibus obſervo variationes, ut II. Reg. V, 5. ubi noſtrae editiones legunt לֵךְ בֹּא haec cum Segol, et linea unionis habet לֶךְ — בֹּא.

CAP. VI.

FRAGM. PENTATEVCHI ANTIQVI IGNOTI IN VIII.

§. 1.

DESCRIPTIO.

Sex ignotae huius editionis folia poſſideo, quae complectuntur tria Capita Geneſeos ſeu Cap. XXIX, XXX, et XXXI. Character eſt quadratus luculentus cum punctis et accentibus. Quaelibet pagina habet lineas novemdecim. Charta eſt ſpiſſa, bombycina, antiqua, nec ulla ſive foliorum, ſive plagularum enumeratio apparet. Dei tamen nomina conſueto more excuſa ſunt, nullumque ſupra litteras Raphe conſpicitur.

§. 2.

VSVS CRITICVS.

Ex hoc Fragmento eruo, ſingulares var. lectiones editionem hanc ſuppeditare, et immediate ex aliquo Ms. Codice fuiſſe hauſtam.

Gen XXXI, 7. pro אביכן legit אביכם. Mendoſa lectio analogiae contraria, quam nulla editio, et ex Kenn. Codicibus unus tantum confirmat. Contra vero

XXXI, 9. pro אביכם legit אביכן, ut poſtulat Syntaxis et contextus analogia, et ut reapſe legunt ſexcenti Mss. Codices, et ex antiquis editionibus Biblia Sonc. 1488, et Biblia antiqua in fol. ſine anno et loco.

Ibid. v. 28. habet עשה cum ה, ut habent quindecim Mss. Codices Kenn. Collationis.

CAP. VII.

FRAGMENTVM IOBI IN VIII. IGNOTVM ET ANTIQVVM SEC. XV.

§. I.
DESCRIPTIO.

Erui nuperrime fragmentum hoc ignotiſſimae editionis, duobus tantum foliis conſtans, quae compleƈtuntur Iobi Cap V, 8. usque ad Vers. 14. Capitis VIII. Charaƈter eſt quadratus rudis cum punƈtis et accentibus, idem qui adhibitus eſt in Bibliis meis antiquis in folio ſine anno et loco, quae ſuo loco deſcripſimus. Charta eſt craſſior pro more editionum Sec. XV. Nec folia, nec librorum tituli numerantur, nec plagulae ipſae infra paginas, quod ſecus fit in Bibliis antiquis, unte certe coniiciendum eſt, ante Biblia ipſa curatam fuiſſe hanc Iobi, vel Agiographorum editionem. Nec enim liquet, num ſolus Iobus editus ſit, an vero integra Agiographa. Keri, ſeu leƈtio marginis in textu ipſo expreſſa conſpicitur, et ſaepiſſime textus ab hodierno maſorethico diſſidet, ut ex ſpecimine, quod hic ſubiicimus, luculentiſſime conſtat. Dei nomen Elohim, et Eloha, ſuis litteris exaratum eſt, adhibito tamen nexu Aleph et Lamed, ſimulque contraƈta, vel abbreviata utraque littera. Continet quaelibet pagina lineas viginti.

§. 2.
VSVS CRITICVS AC SELECTAE VAR. LECT.

Iob. Cap. V,	12.	העשנה	. . . .	תעשינה
	18.	וידנ̊	. . .	וידינ
	21.	יבוא	. .	יבא
	22.	לשד	. . .	לשור
	26.	תבוא	. . .	תבא
IV.	2.	והיתי	. .	והותי
	3.	ימים	. . .	ימם
	17.	יזרבו	. . .	יזורבו
	19.	המא	. . .	תימא

	21.	לֺא	. . .	לו
	27.	ריעכם	. .	רעכם
Iob. Cap. VII.	1.	עלֺ	. . .	עלי
	4.	נרדים	. .	כדורים
	14.	בחלמות	. . .	בחלומות
	14.	ומחזינות	. . .	ומחזיונות
	14.	תבעתַנִי	. . .	תבעתֻני
	16.	לעלם	. . .	לעולם
VIII.	8.	לדור	. . .	לדר
	11.	ישנא	. . .	ישגה

CAP. VIII.

FRAGMENTVM IGNOTAE EDITIONIS PSALTERII IN XII. XV. SECVLI.

§. 1.

DESCRIPTIO.

Ignotiſſima haec editio certiſſime prodiit XV. Seculo, idemque eſt character cum Pſalterio Brixienſi an. 1494. unde Brixiae curatam licet coniicere. Diſtinguenda tamen eſt ab altera hac editione an. 1494. quae eſt in 16.° et tredecim tantum lineis conſtat. Contra noſtra haec in 12.° eſt, et ſexdecim lineas complectitur qnaelibet pagina. Tetragammaton Dei Nomen per Daleth ubique effertur. Charta eſt craſſa, nec ulla numerorum in paginis veſtigia. Fragmentum, quod poſſidemus, Patavii erutum eſt in Ghenizà, ſeu publicae librorum occultationis loco, ac complectitur Pſal. CXXXIV, CXXXV, CXXXVI, et initium CXXXVII.

§. 2.

VSVS CRITICVS.

Pſal. CXXXIV, 2. legitur plur. ידיכם.

— CXXXV. 1. et 3. utrobique coniunctim unoque verbo legitur הללויה ut legunt multi Codices Mss. et multae editiones, et ex

 anti-

antiquis Pſalt. Neap. 1487, Bibl. Sonc. 1488, Bibl. Brix. 1494, Biblia antiqua ſine anno et loco, Biblia Complutenſia, et Bomberg. an. 1518.

Ibid. v. 18. וכל cum copula, quae deeſt in hodierno textu impreſſo. Ea extat quoque in duodecim Mss. Codicibus Kenn. Collationis, et in Pſalt 1477 tum in Textu, tum in Commentario; ex antiquis vero verſionibus copulam exprimunt LXX, Vulgatus, Syrus, et Arabs.

CAP. IX.

PENTATEVCHVS CVM TARGVM ET COMMENT. IARCHI IN FOL. SINE ANNO ET LOCO.

§. 1.

DESCRIPTIO.

Editio ſplendidiſſima bibliographis hucusque omnibus ignota, cuius membranaceum poſſidemus exemplar, ſumma nobis benevolentia, ut iam teſtati ſumus in Specimine Var. Lect. Pontif. Codicis pag. 80. conceſſum a doctiſſimo Crevenna. Sacer Textus interiorem voluminis partem occupat, et charactere quadrato excuſus eſt luculento cum punctis et accentibus, qui idem videtur cum Vlyſſiponenſi, niſi quod hic ſit nitidior, contra noſter detritus. Ad latus ſacri textus extat Targum charactere quadrato minori cum punctis, infra vero ſiſtitur Iarchianus Commentarius charactere rabbinico hispanico, qui idem videtur cum Char. Pentateuchi Soriani an 1490. Sub initium etiam Exodi eadem in utroque Pentateucho littera Vav ornata conſpicitur. Sub initium Levitici, ac finem Exodi ligneus quidam ornatus occurrit homines et varia animalium genera repraeſentans, omnino diverſus ab eo, quem exhibent editiones nonnullae Vlyſſiponenſes. Litterae ſuis locis lineola Raphe inſignitae ſunt, et quidem ſaepius, quam in Pentateucho Vlyſſiponenſi, et hoc etiam ſingulare, quod He quoque lineola illa notetur. Ineffabile Dei nomen per Daleth. effertur, ſed

Digitized by Google

ſed nomen Elohim perpetuo cum Cheth impreſſum eſt. Folia numerantur. Folio 94. explicit Geneſis, eiusque pag. verſa incipit Exodus Fol. 174 incipit Leviticus. Fol. 186. et deinceps magna in numeris foliorum occurrit confuſio. Numeri incipiunt folio novae numerationis 60, quam, ut II Volumen conſtitueret, continuavit editor, ſed praetermiſſis numeris antecedentibus Fol. 138. novae huius mendoſae ſupputationis reperitur Deuteronomium. Poſtrema ſex folia mei exemplaris manu ſuppleta ſunt, ac forte ſub finem aliqua extabat epigraphe ab amanuenſi omiſſa, vnde locus, vel annus editionis erui poterat. Chartaceum etiam Fragmentum huius editionis apud me extat, ex quo patet chartacea quoque exemplaria fuiſſe excuſa.

§. 2.

VSVS CRITICVS.

Quoad plenas ac deficientes litteras et univerſim in lectione ſacri contextus cum Vlyſſiponenſi hanc editionem congruere deprehendo, atque iidem plerumque aſteriſci variarum lectionum indices in utraque apparent. Extant tamen quamplures ex his in hac noſtra, quos fruſtra requiras in Vlyſſiponenſi. Ita

Deut. XXXI, 28. vox ואעירה parvo hic ſemicirculo notatur ad indicandam Codicum diſcrepantiam, non item in Vlyſſip. Pentateucho. Diverſo etiam modo Canticum Moſis diſponitur.

Gen. X, 1. legit וחם cum Vav praefixo cum multis Codicibus.

Gen. XXV, 15. חדד cum Daleth, ut Samar. T. ducenti duodecim codices Mss. Kenn., plurimi ex meis alibi afferendi, et editiones innumerae. Ita quoque legit Chaldaeus in multis Mss. editisque Codicibus, nec aliter Vulgatus in Cod. meo Ms. 650.

XXXII, 31. פניאל cum ſigno var. lectionis, quo indigitatur altera lectio פנואל, quam exhibent multi Codices.

XXXIV, 23. מקנהם cum aſteriſco, ut indicetur alia exemplaria plena vocabulum hoc habere ut habet, Sam. T. et viginti novem codices Collationis Kennic.

XLIII, 8. טפכו Sing. ut quinquaginta novem Codices Kenn. Mss. et editi.

XLVI,

XLVI, 34. רעו plur. cum multis Mſs. Codicibus ſine ullo Var. Lect. veſtigio.

XLIX, 13. עד צידן, non על. Optima lectio a multis Mſs. codicibus, et ab antiquis verſionibus confirmata, quam ſola noſtra editio, ut arbitror, ſervat. Conſulantur quae de ea diximus in Specimine Var. Lect. Pontificii Codicis pag. 79. et ſeq.

Levit. XI, 21. בחן cum aſteriſco, ut innuatur alia exemplaria hic maſc. genere legere בהם, ut reapſe legunt Sam. T. et plurimi Codices.

CAP. X.

PENTAT. HEB. CVM TARG. MEGHILLOTH ET APHTAROTH AC VAR. COMMENTARIIS IN IV. VEL FOL. MINORI CONSTANTINOPOLI AN. MDV.

§. I.

DESCRIPTIO.

Ignotae huius editionis notitiam doctiſſimo Maſchio dedimus, qui ex noſtris litteris eam perbreviter deſcripſit pag. 123, mendoſe tamen mutato anno 1505, quem adnotaveram, in annum 1506. In dimidium enim menſem noſtrum Martium anni 1505. incidit menſis Niſan anni 5265, quo abſoluta fuit iſthaec editio. Immo annus hic noſter continuavit per nonnullos menſes novi hebraeorum anni 5266, qui coepit a menſe Tiſri, ſeu a Septembri noſtro decurrente, etſi ad id non attendant bibliographi, qui plerumque integram ſupputationem accipiunt, neglectoque novi anni initio annos 240. Iudaicae aerae addunt, ut noſtram ſignificent. Hebraeus Textus litteris quadratis maioribus ac luculentis, quae eaedem videntur cum Vlyſſiponenſibus, exaratus eſt una cum punctis et accentibus; minoribus chaldaicus, qui ad latus apponitur, rabbinicis vero italicis Commentarius Iarchi, qui ſub finem cuiusque paginae extat. Poſt Pentateuchum ſequuntur Aphtaroth cum Comm. Kimchi, ab hodiernis plane diverſae quas excipiunt V. Meghilloth

loth cum Commentario Abeneſrae, et Volumen Antiochi, ut fit in nonnullis Codicibus, et in Neapol. Pentat. anni 1491. Integrae, quae ſub finem occurrunt longiores inſcriptiones, alibi exhibebuntur. In iis nominantur operis Typographi duo fratres Nachmias David, et Samuel hiſpani et ex hiſpania pulſi, Abraham ben Ioſeph Iaiſe corrector, R. Ioſeph ben Ioel Bivaſe operis encomiaſta, et approbator, tandem R. Ioſuas, et R. Iſaac Kaspota, tamquam editionis promotores, ſeu qui eius impenſas fecerunt. In utraque Iaiſcii et Bivaſcii epigraphe locus et annus editionis innuitur.

§. 2.

VSVS CRITICVS.

Integram nos olim Quinque Meghilloth, et Aphtaroth huius editionis collationem inſtituimus. Obſevavimus tamen diſcrepantias fere in plenis, ac deficientibus conſiſtere, vel in punctis vocalibus vel in marginalibus lectionibus τοῦ Keri in textum receptis, ac perpaucas reperiri ullius momenti. Nonnullas hic ſpeciminis gratia producimus, quae graviores videntur.

2 Sam. XXII, 1. pro ומכף lepitur ומיד ut in altera edit. Conſtantinop. 1522.

Iſai. XXXIII, 1. בגדו בו cum edit. Sonc. 1488, et Bibliis antiquis ſine anno et loco.

Oſeae XIII, 2. כתבונם, ut obſervavimus in Com. de Typogr. Hebraeo-Ferrarienſi, ubi plures Mss. editosque Codices ita legentes attulimus. De nonnullis aliis var. lectionibus huius editionis conſulatur etiam opuſculum De Heb. Typogr. Origine p. 94. editionis parmenſis.

Digitized by Google

CAP. XI.

PSALTERIVM HEB. XII. VENETIIS PER DAN. BOMBERGVM AN. MDXIX.

§. 1.

DESCRIPTIO.

"Quo anno, inquit Maſchius Bibl. Sacra pag. 90, Bombergus pri-„ma vice Pſalmorum librum ediderit, omnino incertum eſt. In-„terim ex editione, quae ſequitur, antiquiorem extare editionem „omnino liquet.„ Editio enim anni 1522. in titulo vocatur ſecunda. Nos ignotam hanc editionem duobus fere abhinc annis deteximus, nobisque comparavimus. Character eſt quadratus cum punctis. Ex accentibus ſolus adhibetur Atnach. Initia Pſalmorum maioribus typis excuſa ſunt. Sub finem reperitur Tabula Pſalmorum, et ſequens epigraphe. "Feria VI. hebdom; die tertia menſis Tiſri anni 5279. „impreſſus eſt liber huius Poetae per manus Danielis Bombergi Ant-„werpienſis, hic Venetiis.„

§. 2.

VSVS CRITICVS.

Ex collatione, quam hic illic inſtitui, editio haec ſequitur utraque Biblia Bombergiana anni 1517, et 1518. cum nonnullis tamen diſcrepantiis. Lectiones variae ad illorum oras et marg. poſitae hic abſunt, ac plerique aſteriſci ad earum indicium omiſſi. In inſignioribus tamen locis retenti ſunt, ut Pſal. XLVII, 8. LIII, 5. ec. ubi inſignes var. lectiones occurrunt.

Pſal. XVI, 10. in ſing. leg. חסידך. Quae ex vetuſtis aliis editionibus celeberrimae huic lectioni adſtipulantur, alibi tetigimus. V. De Heb. Typogr. Orig. pag. 89.

XL, 17. ויאמרו cum vav praefixo. Vide quae de var. hac lectione diximus in ſpecim. ined. et hexapl. Bibl. Verſ. Syr. in Diatr. n. v.

Pſal.

Pſal. XLVIII, 15. עלמות coniunctim. Multa de hac lectione à nobis dicta reperies in Specim. Var. Lect. Pontif. Cod. pag. 68. ſeqq. multosque codices ſive Mss. ſive editos ad eam confirmandam allatos.

LVII, 10. ואזמרה cum Vav praefixo.

LXXIV, 4. מועדיך in plur.

LXXXVI, 5. קוראיך in plur.

CII, 4. כעשן cum Caph.

CXLIII, 6. בארץ cum Beth.

Quae variae lectiones omnes inſigni, tum Mss. codicum, tum antiquarum editionum apparatu confirmantur.

CAP. XII.

PENTATEVCHVS CVM TARG. V. MEGHILLOTH APHTAROTH ET VARIORVM COMMENTARIIS IN FOL. MAI. CONSTANTINOPOLI AN. MDXXII.

§. I.

DESCRIPTIO.

Ignotam hanc editionem ex litteris noſtris breviter deſcribit Maſchius pag. 119. Iis, quae notavimus, haec addantur. Opus incipit a Praefatione Nachmannidis. In priori pagina idem ornatus occurrit, qui occurrit in Bibliis antiquis ſine anno et loco, et in Adereth Eliav Karraitico Conſtantinopoli etiam impreſſo, niſi quod valde detritus in noſtro hoc Pentateucho, et in Adereth Eliav appareat. Littera Beth, a qua exorditur liber Geneſeos, tum in textu, tum in Targum eſt ornata. Lineola raphe ſupra litteras cernitur. Divina nomina ſuperſtitioſe per Cheth impreſſa ſunt. Samuel ben David Nachmias, typographus eius aetatis celeberrimus, eosdem typos pro hac editione adhibuit, quos in edendo altero Pent. 1505. adhibuerat, qui idcirco in hoc noſtro quam maxime detriti conſpiciuntur. Ex poſtremis verſibus Poematis R. Io-

C 2 ſephi

ſephi Bivas, quod editionem claudit, praeter locum et annum editionis, colligitur etiam, operis correctorem fuiſſe R. Abram ben Predes, qui alterum illum Pentateuchum anni 1505. iam correxerat, eius autem anteſignanos et adiutores R. Moſem Selimi, et R. Ioſephum Latnekvam.

§. 2.

VSVS CRITICVS.

Variae lectiones aſteriſco, ſeu ſemicirculo ſupra dictiones ipſas poſito indicantur, ac ſaepe optimarum lectionum veſtigia hic ſervantur, quae in aliis editionibus non apparent. Lectiones anomalae aliquando in textu corriguntur.

Gen. XLIII, 8. habet טפנו ſine Iod, et in ſing. pro irregulari altera, quae habetur in bibliis Hooghtianis, et in quam plurimis aliis editionibus. Quadraginta ſex Kenn. codices, et ex meis quamplurimi confirmant hanc lectionem, editiones autem innumerae ſive antiquae, ſive recentiores. Ex iis ſolis, quae apud me extant, viginti novem integra Biblia ita legunt, et viginti duae et amplius editiones Pentateuchi. Nonnullas profert Kennicottius, inter quas non video recenſeri numerum 261. ſeu Pentat. Vlyſſiponenſem an. 1491. in integrum ab eo collatum, et 287. ſeu Biblia Athiae an. 1667.

XLVII, verſ. 27. 28. nullus hic hiatus, ſeu Piſka.

2 Sam. XXII, 1. in Apht. diei VII. Paſchatis pro ומכף legit ומיד.

1 Reg. I, 18. ואתה *Et tu* cum multis Mss. Codicibus, et vetuſtis editionibus, ut obſervatum a nobis eſt in Com. de Typ. Heb. Ferr. pag. 58. edit. parmenſis.

Eccle. I, 16. pro על ירושלם, legit בירושלם cum multis Mss. editisque Codicibus.

CAP.

CAP. XIII.

PROPHETAE PRIORES CVM COMMENTARIO KIMCHI IN FOL. THESSALON. AN. MDXXXV.

§. 1.

DESCRIPTIO.

Editionem hanc hucusque incognitam haud ita pridem deteximus et acquiſivimus. Incipit pagina verſa a praefatione Kimchii, cui tamen hic titulus praemittitur: "Prophetae priores cum commentario „Doctoris noſtri Davidis Kimchii, cuius memoria ſit in benedictione „impreſſi in domo ſenis excelſi Don Iehudae ex familia Ghedaliae ex-„pectantis bonum Theſſalonicae ſub dominio domini noſtri Regis Sul-„nani Solimani, cuius regnum exaltetur. Sic fiat.„ Sacer textus typis quadratis cum punctis et accentibus cuſus eſt, et duabus columnis diviſus medium locum occupat. Supra et infra extat Commentarius Kimchianus typis rabbinicis. Folia ſuperius numerantur, ſuntque univerſim 164. Nullum in hac editione raphe occurrit, ſed divina nomina ſuperſtitioſe ubique ſunt impreſſa. Sub finem haec leguntur: "*Impreſſum* autem eſt opus in domo ſenis praeſtantiſſimi Don Iehudae „ex familia Gheſaliae expectantis bonum per manus minimi diſcipulo-„rum Ioſephi Sid, vel Said filii domini R. Iſaaci Sid, cuius requies „ſit in paradiſo. Anno 295. quinti millenarii.„

§. 2.

VSVS CRITICVS.

Plures et optimas varias lectiones ſuppeditat haec editio, ex quibus nonnullas hic delibamus. Reliquae ſuo loco afferentur.

Ioſuae I, 16. loco כל legit בכל, ut novem Mss. codices Kenn. et ad marg. ferunt Biblia ven. 1518.

II, 14. תגידו, utraque lectio, et ſingul. Foem. et pluralis. V. quae ſuperius diximus.

Ioſuae II, 24. בידינו Plur. ut viginti ſex Mss. Codices Kenn. Collectionis, Vulgatus interpres, et editiones nonnullae, inter quas Prophetae Prior Sonc. 1486, Biblia Sonc. 1488. Brixienſia an. 1494. et Veneta 1518. ad marg.

XXI, 36. 37. Extant in hac editione celeberrimi hi duo verſiculi. De his conſulantur quae diximus De Heb. Typ. Orig. pag. 89. et in Specim. Pontif. cod. pag. 41.

VIII, 22. loco להם legitur לו, ut viginti Mss. Codices Kenn. ſed cum circulo ad alterius lectionis indicium. Lectionem hanc exhibent quoque Biblia Brixienſia 1494. Biblia autiqua ſine anno et loco, Biblia Veneta 1518. ad marg. Complutenſia an. 1517. Biblia Piſaurenſia an. 1517. Biblia Munſteri 1536. in Appendice Var. Lect., Biblia Norzii 1742. Prophetae Priores cum Com. Kimchii an. 1511. et Prophetae iidem cum Com. Abarbanelis circa an. 1511. vel 1512. Leirenſis tamen editio receptae lectioni favet.

XXIII, 13. את הגוים *Gentes*. Noſtra editio addit כל *omnes gentes*, ut addunt quindecim Mss. Codices Kenn. Prophetae prior. Sonc. 1486. Biblia Sonc. 1488. Biblia Brixienſia an. 1494. Prophetae priores cum Com. Abarbanelis Piſaurenſes eiusdem anni vel an. 1512. Biblia veneta 1518. Biblia Munſteri an. 1534. Biblia eiusdem anni 1536. In Bibliis Piſaurenſibus anni 1511-1517. in quibus idem contextus Priorum Prophetarum adamuſſim retentus eſt, a correctore, vel typographo ſublatum eſt כל, quod in illis legebatur. Additamentum hoc non habet etiam editio Leirenſis.

Iud. XV, 6. loco אביה *Abiae*, plurimi codices legunt בית אביה *Domus Abiae*. Hoc ſingulare in hac editione, quod ſpatium unius vocabuli ibi relinquitur, ut Codicum diſſidium indigitetur, et ut lectores pro arbitrio voc. בית ſuppleant. Niſi enim hoc intenderet editor, praecedens vox, quae habet lineolam Makkaph, ſeu unionis, neceſſario poſtulabat iungi cum אביה.

1 Sam. XIV, 44. Iterum in hoc loco poſt verbum יעשה reliquit editor ſpatium cum aſteriſco, ut ſignificaretur varia lectio לי, quam plurimi codices hic addunt, et ex Kennicotianis ſive Mss. ſive editis centum.

2 Reg.

2 Reg. XIV, 14. pro בית legitur בבית cum Beth praefixo. Optimae notae lectio, quam duodecim Kenn. Codices, et analogia confirmant, et ex vetuſtis editionibus Prophetae priores Sonc. 1486. Biblia Sonc. 1488. Biblia Ven. 1518. ad marg.

CAP. XIV.

PENTATEVCHVS CVM V. MEGHILLOTH ET APHTAROTH IN FOL. CHAR. GERM.

§. 1.
DESCRIPTIO.

Mutilum huius editionis exemplar nuper eruimus. Ea non duabus columnis, ſed integra pagina conſtat, quae habet lineas viginti octo. Paraſchae ſuperiori paginarum parte indicantur; numerantur etiam plagulae impreſſionis ac folia. Fol. 78. pag. verſa reperitur Leviticus, fol. 103. Numeri, fol. 137. pagina verſa Deuteronomium, fol. 167. pagina altera Canticum et V. Meghilloth, quae ſtatim Deuteronomium ſequuntur. Vnus cuiusque libri exordium fit a priori vocabulo maioribus typis ac litteris in medio poſitis. Litterae aſpirandae conſueta lineola inſignitae ſunt, divinaque nomina pro antiquarum editionum more ſuperſtitioſe, ac corrupte per Daleth exarata. Character eſt germanicus, nec congruit cum antiquioribus ac primariis editionibus Germanicis· Cracovienſi an. 1530. eſt certe antiquior, ac praeterea habet Propheticas Sectiones, quibus illa deſtituitur. Pragenſis eſſe nequit tum ex collatione locorum a me inſtituta, tum ex Commentario, qui in hac noſtra deeſt.

§. 2.
VSVS CRITICVS.

Non deſunt in hac editioue praeſtantiſſimae, ac ſingulares variae lectiones.

Deut. XIV, 4. pro כשבים legit כבשים.

Cant.

Cant. V, 4. loco עליו habet עלי.
Ecele. I, 16. legit בירושלם.
Ierem. I, 16. in Apht. שמות iuxta ritum hiſpan. habet למעשה *operi* in Sing. de qua lectione vide, quae alibi notavimus.
1 Reg. II, 3. in Sect. ויחי עקב legit ומצותיו *et praecepta eius* cum vav praefixo, in cuius lectionis praeſidium nonnullas alias antiquas editiones, variosque Codices producimus in commentario de Typogr. Heb. Ferrar. pag. 58.

CAP. XV.

CANTICVM RVTH THRENI ET ECCLESIASTES IN MACHAZOR PISAVR. FOL. SVB INIT. SEC. XVI.

§. 1.
DESCRIPTIO.

Altiſſimum apud Bibliographos ſilentium tum Machazor huius Piſaurenſis, tum IV. ſacrorum voluminum, quae in eo reperiuntur. Editio in fronte tertia dicitur, et a Soncinatibus facta, et ex ornatu ac charactere certe ad Piſaurum referenda eſt, et ad initia XVI. Seculi. Quatuor ſacra volumina impreſſa ſunt charactere maiori cum punctis et accentibus, iisdemque typis, quibus excuſa ſunt Biblia Piſaurenſia an. 1517. ac Prophetae Priores ac Poſteriores cum com. Kimchii, vel Abarbanelis Piſauri excuſi an. 1511 1516. 1520. Ligneus unicuique volumini ornatus, vel maiores litterae ornamentis ſtipatae praemittuntur. Vol. I. fol. 83. extat Canticum, fol. 123. Ruth. ac fol. 131. Threni. Eccleſiaſtes reperitur ſub fini. II. Vol. fol. 117. Nullum in iis raphe occurrit, ſed divina nomina per Daleth efferuntut.

§. 2.
VSVS CRITICVS.

Cant. V, 4. legit עלי *ſuper me.*
VII, 1. במחלת cum Beth loco Caph.
Ruth II, 6. משדה in Sing.
Eccle. I, 16. בירושלם, ſeu Beth pro על.
Ibid. IV, 17 רגלך Sing in Textu.
XI, 9. ובמראה Sing. in Textu.
XII, 1. בוראך Sing.

DE

DE EDITIONIBUS

HEBRAEO - BIBLICIS

APPENDIX

HISTORICO - CRITICA

QUA NUPERRIMA BIBLIOTHECA SACRA LE LONGIO-MASCHIANA SUPPLETUR ET EMENDATUR.

QVAE ASTERISCO NOTANTVR, EAE IN AVCTORIS BIBLIOTHECA REPERIVNTVR.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE EDITIONIBVS HEBRAEO BIBLICIS
APPENDIX HISTORICO - CRITICA.

1 4 8 2.

* Quinque Meghilloth cum Commentario Iarchi in Fol. ſine anno et loco, ſed Bononiae anno 242. minoris Iudaeorum ſupputationis.

Conſulantur quae ſuperius Cap. 1. de ignotiſſima hac editione dicta ſunt.

1 4 8 7.

* Agiographa cum Variorum Commentariis in Fol. minori Neapoli anno 247.

Haec Agiographa tres diverſas editiones complectuntur, quae etſi uno eodemque charactere conſtent, eademque forma, a diverſis tamen typographis, et cum diverſis Commentariis prodierunt, adeoque ſeorſim referendae ſunt. Pſalterium cum Comment. Kimchii edidit Ioſeph filius Iacobi Germanus, Proverbia cum Commentario R. Immanuel edidit Chaiim filius Iſaacci Levitae Germani, reliqua vero Agiographa Samuel filius Patris Samuelis de Roma. Quae de uno ſolo horum Agiographorum exemplari adhuc ſuperſtite, ac Gudaeorum flammis erepto, tradunt Pelletus ac Kennicottus, paucis ac curſim refutavimus in Specim. Pontif. Codic. pag. 10; et adeo fabuloſa ſunt, ut varia, apud me unum, extent exempla. Difficillimum tamen eſt omnes Agiographorum partes ſimul connectere, atque omnium rarior eſt liber Pſalmorum.

1 4 8 8.

* Biblia Heb. Soncini Fol. an. 248.

Falſa ſunt, quae pag. 6. notat Maſchius ad celeberrimam hanc editionem, cuius praeter mutilum illud, quod ipſe memorat, integerrimum aliud poſſidemus exemplar, editiones in officinis Soncinatum exſcriptas ſibi invicem exacte reſpondere, idque non ſine fundamento ex communi illarum origine colligere. Soncinates varii fuerunt, et pro

 diver-

Digitized by Google

diverſitate locorum ac temporum diverſos etiam ſacri Textus codices edendos ſuſceperunt. Hinc fere omnes diſcrepant. Haec autem Biblia Soncini quidem, ſed ab Abrahamo ben Chaiim Piſaurenſi impreſſa, quam maxime a Brixienſibus anni 1494. aliisque Soncinatum editionibus differunt.

1 4 9 1.

Pentateuchus cum Targ. V. Meghilloth, Aphtaroth, Comm. Raſci, et Vol. Antiochi in 4. Neapoli anno 251. per Soncinates.

Ignotam hanc editionem nuperrime Romae detectam in Commentario de Typographia Hebraeo. Ferrar; ſeu in eius Appendice memoravimus, et nonnullas varias eius lectiones tetigimus. De ea conſulatur ſpecimen italice editum a Pochio 4. Romae 1780; et quae nos fuſe in Annalibus noſtris Hebraeo-typographicis dicemus.

1 4 9 2.

* Pentateuchus Heb. Brixiae an. 252.

Notat Maſchius pag. 67. in priori pagina primum Geneſeos verbum conſpici ornamentis multis colore rubro cinctum. Quae de colore rubro obſervantur, ea ſolum exemplar Durlacenſe Carolisruhae reſpiciunt, in quo color ille litteris illis vel ornatibus ſuperinductus eſt. In binis exemplaribus, quae poſſidemus, huiuſce Petateuchi extremae reapſe raritatis, ornatus ille inciſus conſpicitur, et nigro quidem atramento pro Soncinatum typographorum more. Bina mea exemplaria membranacea ſunt, ac forte membranaceum etiam eſt Durlacenſe, etſi chartacea exemplaria cuſa fuerint, aetate et uſu conſumpta, ut conſtat ex fragmento, ſeu mutilo alio exemplari huius editionis chartaceo, quod apud me extat.

1 4 9 2.

* Proverbia cum Targum, et Commentariis Gerſonidis ac Meiri Fol. Ulyſſipone an. 5252.

Ad hunc annum, non ad annum 1497. referenda eſt haec editio ſummae raritatis, quae olim Mantuae in publica Iudaeorum Bibliotheca, ubi eam vidit, et quoad ſelecta loca contulit Brunſius, extabat, nunc autem in manibus meis meaque poteſtate extat, ut alibi ex epigraphe ipſa oſtendemus. In eo etiam corrigendus Maſchius, quod afferat pag. 111. in Keiloth Moſcè, ſeu Bibliis Babbinicis Amſtelodamenſibus anni

1724.

Digitized by Google

1724. primum ex Ms. Codice editum eſſe Comm. Meiri in Proverbia. Ex his corrigantur quoque, quae de hac editione habet Kennicottus pag. 105. Diſſert. Generalis, qui in ſua Collatione numerum illi aſſignavit 555.

• Iſaias ac Ieremias cum Comm. Kimchii in Fol. Ulyſſipone anno 5252.

Editio a Bibliographis, quos Maſchius ſequitur, male hucusque relata ad an. 1497. Ipſa enim epigraphe, ut alibi innuemus, docet litteram He vocabuli בר״כה, quod annum deſignat, quinque millenaria, non quinque annos denotare. Inſignis admodum, ac ſingularis eſt raritas huius editionis. De ea teſtatur Kennicottus in *The Ten Annual Accounts* pag. 105. ignorari locum, ubi nunc ſervetur, nec licuit ei eam videre, aut pro Bibliis ſuis conferre. Nos poſtquam diu, ſed fruſtra, editionem hanc conquiſieramus, bina tandem exempla feliciſſime obtinuimus, quorum alterum integerrimum eſt, alterum vero in Iſaia mutilum.

1493.

Prophetae Priores cum Comm. Abarbanelis Fol. Neapoli an. 253.

Editio non dubia, aut ſuſpecta, ſed manifeſte falſa, ac referenda ad Piſaurum, et ad annum 1511, vel 1512. Conferantur, quae diximus de Heb. Typographiae origine pag. 79. ubi monuimus aperte confuſum eſſe a Bibliographis annum compoſitionis גרי״ם, ſeu 253, quo ait auctor ſe abſolviſſe Commentarium Regum, cum anno editionis. Ex his emendari etiam queunt, quae de ſuppoſititia hac aditione an. 1493, vel 1494. tradit Kennicottus in Diſſert. generali pag. 92. ad Cod. 262. quum in eundem plane errorem et ipſe lapſus ſit, mutilo uſus exemplari Bibliothecae regiae Pariſienſis.

1494.

• Biblia Heb. Brixiae an. 5254.

Falſum quod hic coniicit noſter auctor, recuſa minori hac forma Biblia Soncinenſia anni 1488. et utramque editionem quoad lectionum varietates ſibi invicem reſpondere. In quam plurimis variis lectionibus differunt inter ſe bina haec Biblia, et ex diverſis videntur proculdubio codicibus edita.

Biblia Heb. cum punctis, et ſine punctis in fol. et 4to Piſauri an. 254.

Horum Bibliorum falſitatem confirmo. Quae ad eorum exiſtentiam, adverſus meam coniecturam ſtabiliendam, et ad Tigurini exemplaris a Bri-

Brixienſi diverſitatem confirmandam auctor noſter pag. 12. producit criteria ac diſcrimina, ſi vera eſſent, ad diverſitatem exemplarium, non editionis referenda eſſent. Sita enim ſunt in una aut altera littera, et in rebus minimi momenti, in quibus ſaepe unius eiusdemque editionis exempla diſſident. Sed iam Cl. Heſſus, * doctiſſimus Tigurinae Bibliothecae Praefectus, meo nomine a Clariſſ. Schnurrero, amico meo ſingulari rogatus, accuratiſſime Tigurinum codicem contulit, eiusque uberrimam deſcriptionem ad me tranſmiſit, ex qua certo liquet cuncta illa diverſitatis indicia noſtro auctori olim communicata falſa prorſus eſſe, ac Tigurinum exemplar eſſe ſine dubio Brixienſe, ut fuſe iterum monebimus in Annalibus Hebraeo-typographicis. Contuli et ipſe varia, quae apud me reperiuntur, Brixienſium Bibliorum exemplaria, ac nullum, ne minimum quidem, in controverſis locis a Maſchio prolatis diſcrimen comperi. Ipſa etiam var. lectionum comparatio Kennicottum in meam opinionem pertraxit, convicitque Tigurinum codicem eundem prorſus eſſe cum Brixienſi, ac proinde codicem a ſe collatum 396. eundem eſſe cum Cod. 264, quod a criticis animadvertendum eſt. Vid. eius Diſſ. gener. pag. 100.

* Prophetae Priores cum Comm. Kimchii, ac Gerſonidis in Fol. Leiriae in Luſitania an. 254.

Eſt apud me mutilum exemplar rariſſimae huius editionis, ſeu quod certo ad hanc editionem referendum puto. Eſt enim in fol. cum Targum, ac Commentariis Kimchii, et Gerſonidis, eodem charactere, et chartae genere, quo elaboratae ſunt editiones hebraicae luſitanae ſec. XV. In eo autem adſunt puncta, non deſunt, ut ſcribit noſter auctor. Quoad annum vero, Kennicottus qui uſus eſt libris Regum huius editionis in Bibliotheca Regia Pariſienſi extantibus, ſub quorum finem reperiri debet epigraphe, annum illi aſſignat 1495. in Diſſert. gener. pag. 93. ad Cod. 263.

SINE ANNO, SED XV SECVLO
AVT SVB INIT. XVI.

* Fragmentum Iobi in 8. ignotum et antiquum ſupra deſcriptum. pag. 12.

Aphtaroth, ſeu Propheticae Sectiones, vel Pentateuchus cum Aphtaroth in Fol. Editio antiqua ignota.

Frag-

Fragmentum ignotae huius editionis nuperrime ſub finem Vaticani Codicis Hebraeo-biblici reperit, eiusque notitiam; ac varias lectiones benevole mecum communicavit doctiſſimus Adlerus. Unicum tantum folium, illudque membranaceum, complectitur, quod ſiſtit partem ſectionis ל׳ם באב depromptae ex Cap. VIII. Ieremiae, binasque columnas, quarum una quaeque conſtat lineis triginta. Etſi porro poſteriori manu atramentum ſit calamo ſuperinductum, dubitari tamen nequit, quin folium ſit impreſſum, conſtatque etiam ex vocabulo כרפס *Impreſſum*, quod legitur ſub finem, quodque ſeriori manu correctum eſt in בכתב *Scriptum*. Supra litteras conſpicitur Raphe. Ierem. VIII, 15. legit מרפא cum aleph. Vers. 16. pro עיר habet חבל. Vers. 22. deeſt כי *Quoniam*, ut deeſt in ſeptem codicibus Kennicottianis, in LXX, Syro, et Arabe, et in altero Pentat. antiquo in 4. membranaceo cum V. Megh. et Apht. ſine anno et loco, apud me extante, in hac eadem ſectione.

* Oſeas vetuſtiſſimae editionis in 4. ſine punctis.

* Proverbia cum Comm. Kavvenaki in Fol. ſine anno et loco, ſed Ulyſſipone circa an. 1492.

* Pſalterium Hebr. in 12. Brixiae editum.

* Pentateuchus cum Targ. et Com. Raſci membranaceus in Fol. 2. Voll.

* Pentateuchus cum Aphtaroth et Meghil. Fol.

* Pentateuchus Heb. in 8. antiquus.

Singulas has ignotas editiones ſeorſim, ac ſingularibus capitibus in ſuperiori opuſculo illuſtravimus.

* Proverbia cum Comm. in 4.

Extat apud me horum Proverbiorum exemplar ſub initium ac finem mutilum, ad XVI. ſeculi initium, ut videtur, referendum. Antiquitatis indicia haec ſunt, quod folia non numerantur, character eſt rudis, divina nomina ſuperſtitioſe ubique impreſſa ſunt, charta eſt craſſior, Kametz punctum habet a lineola ſeparatum, matres lectionis retentae, Keri in textu ipſo receptum.

* Biblia Heb. in Fol. ſine anno et loco apud me extantia.

Piſaurenſem editionem an. 1517. ad hanc eſſe formatam, aut hanc ex Piſaurenſi ſibi perſuadet Maſchius, quod falſum eſſe, collatis utrisque exemplaribus, experimento didici. In multis lectionibus, potiſſimum in plenis ac deficientibus litteris inter ſe differunt duae hae editiones. Keri

parvo

parvo circulo notatur in textu Piſaurenſi; nulla plane eius veſtigia occurrunt in Bibliis antiquis. Num. X, 35. 36. nullum in his Nun inverſum; extat autem in Piſaurenſibus. Contra Num. III, 39. ſuper vocabulo ואהרן in editione antiqua habentur puncta; deſunt in Piſaurenſi. In hac divina nomina ſuperſtitioſe ubique efferuntur, quum ſuis litteris in priori illa exarentur.

Prophetae Priores ac Poſteriores cum Comm. Abarbanelis in Fol. ſine anno et loco. Antiquiſſima editio.

Ex Wolfio memorat hanc editionem Maſchius pag. 135. quae non exiſtit, ac proculdubio Piſaurenſis eſt anni 1511, et 1520, de qua infra agimus. Cum in ſolo titulo Prophetarum poſteriorum, quo antiqua exemplaria carere ſolent, notetur annus et locus editionis Piſaurenſis, veroſimile eſt, Wolfium exemplar titulo mutilatum habuiſſe prae manibus.

1506.

* Pſalmi nonnulli in Iudaic. Deprecationum libro 4. Fani an. 266.

Infinitus eſſem, ſi editionum omnium Iudaicarum precum, ubi Pſalmi varii extant, haberetur ratio.

Iob cum Comm. Aramae an. 266.

Falſa editio male hucusque a Bibliographis relata ad hunc annum. Conferantur quae inferius animadvertemus ad an. 1517, ad quem eſt referenda.

1511.

* Prophetae Priores cum Comm. Kimchii in Fol. Piſauri an. 271.

Non prophetae omnes, ut le Longium ſecutus ſcribit Maſchius, ſed ſoli Priores hoc anno editi ſunt, ac falſum eſt, quod ſubdit, quatuor hic ſecundum latinorum morem a Iudaeis numerari Regum libros. Poſteriores Prophetas, ſeu alterum volumen, edidit Typographus anno 276, Chriſti 1516.

* Prophetae Priores cum Comm. Abarbanelis in Fol. ſine anno et loco, ſed Piſauri circa an. 1511.

Eſt idem textus et character ſuperioris editionis Piſaurenſis, ac Piſaurenſis Typographus, retenta textus compoſitione, ſolum Abarbanelis commentarium Kimchiano ſubſtituit. Vid. ſpecim. Pontif. Cod. pag. 42.

Prophetae Poſteriores cum Comment. Abarbanelis in Fol. Piſauri an. 271.

Bis

Bis noſter auctor Poſteriores Prophetas cum Abarbanelis Commentario Piſauri prodiiſſe ex le Longio ac Wolfio tradit, anno 271, et 280, Chriſti 1511, et 1520. Ac poſterior quidem apud me extat editio, ſed prior illa eſt ſuppoſititia. Le Longius ac Wolfius Priores Prophetas cum Poſterioribus confuderunt, ac proinde Priorum Prophetarum editionem, quam ſupra reſtituimus, omiſerunt. Emendandus eſt etiam Kennicottus, qui in Diſſ. generali pag. 93. ad Cod. 269. refert hanc editionem ad an. 1516, eam manifeſte confundens cum altera Comm. Kimchiani pariter Piſaurenſi eiusdem anni.

1 5 1 3.

Iſaias ac Ieremias cum Comm. Kimchii Fol. CPoli an. 273.

Valde mihi ſuſpecta eſt haec editio, ac forte confuſa cum ulyſſiponenſi anni 1492, quae reapſe luculentis typis conſtat. Nullum a Bibliographis memoratur exemplar, et illam multo quidem ſtudio, ſed irrito hucusque conatu conquiſivimus.

1 5 1 5.

* Pſalmi, Proverbia, Iob, et Daniel cum Comm. Raſci in Fol. Theſſalonicae an. 275.

Vix hanc editionem, quae apud me proſtat, innuunt le Longius, Wolfius, ac Maſchius. Ea eſt in 4. maiori. In medio adeſt textus charactere quadrato maiori cum punctis duabus Columnis, ſupra vero et intra Commentarius Iarchianus charactere rabbinico hiſpanico. In Pſalmis litterae Raphe notatae ſunt, et ineffabile Dei nomen plerumque per Daleth expreſſum. In fine haec legitur epigraphe. „Et abſoluta „eſt opera operis ſancti horum quatuor librorum, Pſalmorum, Prover„biorum, Iobi, et Danielis in domo Don Iehudae Ghedaliae, hic „Theſſalonicae ſub dominio domini Sultani Selim, cuius honos exalte„tur, die quarta menſis elul anno העֹרה ליצירה 5275. a Creatione.„ Ita maior legitur Iudaeorum aera, qualem affert le Longius, non minor, qualem notant Wolfius ac Maſchius. Ex hac autem inſcriptione eruitur hos ſolos quatuor libros Agiographorum fuiſſe impreſſos. Epigraphem excipit Poëma 38. verſuum, quo abſoluto dicitur excuſus liber opera typographi minimi hominum, ac parvuli diſcipulorum Ioſephi Metatron. Mutilum huius editionis exemplar vidi quoque in Caſana-

Digitized by Google

ſanatenſi, quod recte olim conieſtatus eſt Fabricy Des Titres primitifs T. II. pag. 391. in notis ad editionem hanc Theſſalonicenſem a le Longio allatam, eſſe referendum.

1516.

• Pentateuchus cum Targum, V. Megh. et Comm. Raſci Fol. Theſſalonicae an. 5276.

Ad hunc annum amandandam nunc puto editionem hanc, quam ad annum 1521. retuleram, et ex meis litteris ad ſe datis refert Maſchius. Littera enim ה vocis עורה, non quinque annos, ſed quinque millenaria denotat, ut in editione ulyſſiponenſi, nec minor, ſed maior ea exhibetur Iudaeorum aera. Praeterea puto hanc editionem eandem plane eſſe, quam Melchior Adami in Vita Conradi Pellicani, et ex eo le Longius, Wolfius, ac Maſchius memorant, referuntque ad annum praecedentem 1515. Fieri enim poteſt, ut in titulo libri, qui in meo exemplari deeſt, annus hic deſignetur, alter vero, ſeu 1516. ſub finem; nec enim aliud hucusque exemplar integrum reperire, ac conſulere potuimus, quo mea haec conieſtura confirmetur. Fieri etiam poteſt, ut Pellicanus, cuius unius fidei annus innititur, quemque alibi parum accuratum deprehendimus, in exſcribendo anno errarit. Quidquid ſit, editio praeſtantiſſima eſt, et optimae notae, et unica inter editiones, quae Gen. III. 7. in plurali legat עלי, ut legunt Samaritanus Textus, et antiquae omnes verſiones, et ut habent undecim Kenn. Collationis codices, et ex meis nonnulli alibi producendi.

Iob Heb. in 4. Pariſiis 1516.

Editionem hanc recenſet Kennicottus in ſtatu Collationis pag. 106; ſed non notat, ex cuius fide eam producat, ſubditque incertum, et ignotum eſſe locum, in quo ſervetur. Ego certiſſime ſuppoſititiam iudico, ac forte innuit Kennicottus Iobum cum Comm. Theſſalonicae editum anno ſequenti, vel annum 1506, ad quem Bibliographi eum retulerant; pro anno 1516. deſcripſit.

• Pſalterium Heb. 16. Baſileae 1516.

Perperam ad hoc Pſalterium notat Maſchius, accurate illud cum Codice Brixienſi conſentire. Varias nos inter utrumque leſtiones, ac diſcrepantias obſervavimus, ac collegimus, quarum exempla ac ſpecimina ſiſtimus.

Pſal.

Pſal. IX, 1. על מות duabus dictionibus habet Pſalterium Baſileenſe, Biblia Brixienſia עלמות coniunctim.

XVI, 2. אמרתי cum Kirech *dixi* legit Pſalter. Baſileenſe, Biblia Brixienſia אמרתְי cum ſceva *dixiſti.*

XXII, 17. כארו in Textu, et ad marg. כארי exhibet Pſalterium Baſileenſe, Biblia Brixienſia in Textu כארי ſine ullo veſtigio alterius lectionis. Plures, quas quidem afferre poſſemus, varietates non congerimus.

1 5 1 7.

* Iob cum Comm. Aramae in Fol. Theſſalonicae an. 277.

Bartoloccius, et poſt eum le Longius, Wolfius, ac Maſchius, annum compoſitionis pro anno editionis accipientes, male editionem hanc ad annum 1506. retulerunt. Verba, quae Bartoloccium deceperunt, reperiuntur ſub finem Commentarii, ſuntque haec: *Et abſolutus eſt Commentarius meus iſte anno* 266. (Chriſti 1506.) *minoris ſupputationis. Laudetur Deus adiutor meus.* Quae auctoris, ut conſtat, verba ſunt de Commentarii compoſitione loquentis non de eius editione. Poſt haec ſequitur Poema quinquaginta ſex verſuum in laudem libri, et editionis, in quo dicitur finitum opus die prima menſis primi anno זכור גולה, ſcilicet 277, chriſti 1517. At vero ſi ה poſterioris vocabuli pro quinque millenariis accipitur, ut a Iudaeis aliquando factum eſt, tum erit annus maior, et integrae aerae 5272, chriſti 1512. Duabus columnis conſtat editio. Character eſt maior, quadratus cum punctis, ac rudis; character vero Commentarii eſt rabbinicus hiſpanicae, vel orientalis inflexionis.

* Biblia Piſauri Fol. 1511 - 1517.

Non accurate hic notat Maſchius pag. 14. typos proxime ad formam editionis praecedentis, ſeu Gerſonianae an. 1494. accedere. Typi huius editionis ſunt et maiores, et elegantiores, atque iidem cum typis Piſaurenſium Prophetarum Priorum ac Poſteriorum cum Commentariis Kimchii et Abarbanelis: immo eadem Textus compoſitio per ſingulas paginas, ac lineas retenta, niſi quod amoti ſint Commentarii. Aliquando tamen Textus correctus ac reformatus eſt, aliaeque in eum lectiones aſſumptae. Huiusce rei exemplum ſuperius dedimus Ioſue XXIII, 13; ubi verbum כל, quod legitur in utraque editione Piſaurenſi Priorum Prophetarum cum Comm. Kimchii, et Abarbanelis, in Bibliis ſublatum eſt.

1518.

* Pſalterium Hebr. ad finem Inſtitutionum Heb. Wolf. Capitonis in 8. Memorat Lorkius pag. 9. Catalogi, ſed ſuppoſititium puto.

* Pſalterium Triglottum in Fol. Baſileae.

Pellicanus in hac editione Hebraicum Textum non exſcripſit ex editione anni *1516*. ut animadvertit Maſchius. Conſtat id ex variis ac diſcrepantibus inter utramque lectionibus a me obſervatis ac collectis.

* Biblia Hebr. in 4. Venet. Bomberg. anno 278.

Ex iis, quae ad haec Biblia pag. 18. ſcribit Maſchius, ne quis putet Bombergum omnes Gerſonis habere lectiones. Innumerae ſunt variae lectiones Bibliorum Brixienſium, quas fruſtra requiras in Bombergianis, ut conſtat ex Kennic. collatione, et uberius conſtabit ex noſtra, ubi multo plenior collatio ſuppeditabitur, quam ſuppeditaverit Schulzius, qui plurimas inſignes var. lectiones omiſit. Nec omnes ipſius Ioſue lectiones Gerſoniani Codicis ſive in Textu, ſive ad marginem exhibet iſthaec Bombergii editio.

1519.

* Pſalterium Hebr. 12. Venet. per Bomberg. anno 279.

De ignota hac editione ſuperius ſermonem habuimus peculiari capite.

Meghilloth, ſeu ſacra Volumina in Machazor in 4. Arcinini edito ſub Leone X.

Leo X. deceſſit ſub initium anni 1521, unde ad annum 1519, vel 1520. referenda eſt haec editio, quam vidi Romae in Publica Iudaeorum Bibliotheca, cuiusque epigraphem alibi dabimus.

1520.

* Canticum, Ruth, Threni, et Eccleſiaſtes cum plerisque Pſalmis, ac Variis Sectionibus Biblicis in Machazor per Soncinates tertium edito in Fol. min.

Circa hunc annum, vel paullo ante factam puto hanc editionem, quam in ſuperiori opuſculo cap. XIV. breviter deſcripſimus.

1521.

I 5 2 I.

Biblia Hebr. in 4. Venetiis per Bombergum an. 281.

Maximum inter hanc editionem, ac Brixienſem conſenſum ſtatuit Maſchius, ego vero maximum diſſenſum in forma, in charactere, in variis lectionibus, nec quae adducit de librorum ordine, vel titulis, editionis conſenſum adſtruunt. Pſalmorum etiam tituli, qui in ſuperiori paginarum parte habentur in Bombergiana, in Brixienſi deſunt. Quinque Meghilloth, quae diverſum librorum ordinem conſtituunt, varius eſt pro varietate exemplarium locus in utraque editione, illas referentibus aliis ad Pentateuchum, aliis ad Agiographa. Quod vero ſubditur Haphtaras in Prophetis non eſſe diſtinctas, de editione Bombergiana falſum puto; nam ſi ea ſimillima eſt editioni praecedenti anni 1518, in hac certiſſime ad marginem diſtinguuntur Prophetarum ſectiones.

I 5 2 2.

* Pſalterium Heb. cum Comm. Kimchii, et R. Ioſephi Chivan in Fol. Theſſalonicae anno 282.

Vix hanc editionem innuunt le Longius, Wolfius, ac Maſchius, quam propterea ex membranaceo noſtro exemplari paucis deſcribemus. Hic libri titulus in fronte occurrit: „Liber Pſalmorum cum Com„mentario R. Davidis Kimchii felicis memoriae, et cum Comm. R. Io„ſephi Chivan, cuius memoria ſit in benedictione, impreſſus Theſſalo„nicae in domo ſenis illuſtris Don Iehudae ex familia Ghedaliae, quem „Deus ſervet, anno 5282. a Creatione, qui eſt annus ſecundus regni „domini noſtri Regis Sultani Solimani, cuius maieſtas extollatur, cuius„que imperium exaltetur.„ Character textus, qui medium locum occupat, eſt quadratus, maior, ſat luculentus cum punctis et accentibus, character vero commentariorum, qui textum binis columnis circumdant, eſt rabbinicus, demptis tamen verbis ſacri textus, quae exponuntur.

* Proverbia cum Comm. Kav venaki in Fol. Theſſalonicae anno 282.

Hanc quoque editionem vix memorat Maſchius. Ea eſt apud me membrana excuſa. Titulus eſt: *Proverbia. Commentarius libri Proverbiorum dictus Kav Venaki.* Titulum ſtatim in eadem pagina excipit Praefatio interpretis, ſub cuius finem extant viginti duo verſus. Pagina

 ſequen-

Digitized by Google

ſequenti incipit ſacer Textus, qui eodem charactere quadrato cum Pſalterio exaratus interiorem paginae partem occupat, quemque rabbinicis typis Commentarius circumdat. Explicit editio ſine ulla epigraphe. Folia ſequuntur numeros praecedentis editionis Pſalterii, unde ſecundum folium exhibet numerum 220, et abſolvitur editio folio 262.

1524.

Duodecim ſectiones Pentateuchi cum Variis Pſalmis in Ordine Iudaicarum Precum totius anni iuxta ritum hiſpanicum 12. Venetiis per Bomberg. anno 284.

Vidi Romae in Bibliotheca Collegii Romani.

1525.

* Pſalmi XXI. et alia biblica in libro Precum 4. Tridini anno 285. impreſſo.

Perrarae huius editionis Wolfio ignotae membranaceum poſſidemus exemplar. Ex Tridinenſi hac Typographia Montis ferrati hunc tantum foetum prodiiſſe arbitror, ſeu librum hunc Precum cum Commentario 1. Iudaeis aeſtimatiſſimum.

* Pſalterium Hebr. in 16. Venet. an. 285.

Eſt idem cum Pſalterio Bombergiano anni ſuperioris, quod in fronte gerit annum 284, in ſine vero ann. 285. unde a Bibliographis nonnullis, ac praeſertim in Catalogo Bibliothecae Caſanatenſis Tom. II. p. 650. ad poſteriorem hanc epocham refertur. En epigraphem, quae legitur ſub finem: נדפס שלישית על ידי האחים בני ברוך אדיל קינד בשם דניאל בומבירגי ובביתו בשנת רפה *Tertio impreſſum opera fratrum filiorum Benedicti Adelkind nomine Danielis Bombergi, et in domo eius anno* 285. Vidi quoque Mediolani in Bibliotheca Braidenſi, et Romae in Caſanatenſi.

* Proverbia Hebraeo-Latina Munſteri in 8. Baſileae.

Ab editione anni praecedentis 1524. non eſt diſtinguenda haec editio apud me extans. Praeſatio habet annum 1524, unde annus hic communiter ſtatuitur, non 1525, qui nullibi comparet.

1527.

1 5 2 7.

Biblia Hebraica, aut ſaltem Agiographa in 16. Venet. per Dan. Bombergum an. 287.

Solum Iobum ac Danielem ex le Longio, ac Wolfio profert Maſchius, quum tamen ex ſign. 30. in ima parte prioris Iobi folii occurente conſtet reliquas ſacrorum, aut ſaltem Agiographorum partes in minima hac parte prodiiſſe, ut etiam litteris ad me datis monuit olim Cl. Tychſen.

* Pentateuchus Heb. et Chald. cum V. Megh. 8. Venet. an. 287.

Eſt apud me haec editio, cuius vix mentionem faciunt le Longius, Wolfius, ac Maſchius. Charactere conſtat quadrato cum punctis. Ex adverſa pagina ſacri Textus proſtat Targum. Abſoluto Pentateucho ſequuntur V. Meghilloth, et Aphtaroth ſine Targum cum Tabula earundem iuxta ritum hiſpanicum, ſub cuius finem haec leguntur. „Excuſus (liber) opera Karniel vel Cornelii filii Baruch Adel - Kind „anno 287. in domo principis Dan. Bombergi, quem Deus tueatur.„

1 5 2 9.

Ruth, Eſther, ac Pſalmi plures in Ordine Karraitico Iudaicarum Precum Venetiis edito in 4. 2. Voll. anno 5289.

Sacras has Bibliorum partes minores ex rariſſima et ignota hac Karaeorum editione contuli, variasque lectiones excerpſi in integra Collatione noſtra afferendas. De libro autem ipſo agemus, Deo dante, in Bibliotheca Karraitica.

1 5 3 0.

* Pſalterium Quadruplex Heb. Graec. et Latin. ex duplici Verſione, Fol. Lugduni Gryph. MDXXX.

Editionem hanc non ſolum omiſit noſter auctor, ſed et aperte negavit adeſſe. Eam afferunt le Longius pag. 43, et Wolfius T. II. pag. 403. ſed ad annum 1531. referunt, cum tamen in utroque quod poſſideo, exemplari tum in fronte, tum in fine habeatur annus 1530.

* Pſalterium ſextuplex in 8. Lugduni Gryph. an. 1530.

Ex

Digitized by Google

Ex iis, quae ſupra animadvertimus, eruitur falſum eſſe, Gryphium loco Appendicis Pſalterium hoc ſextuplex ſubſtituiſſe, ut hic notat Maſchius. Is potius Appendicem ipſam, ſeu Polyglottum Pſalterium in ſtudioſorum gratiam in minorem formam redegit et edidit. Hinc idem textus, ſeu eadem contextus compoſitio retenta, minorique formae tantum eſt accommodata.

Pſalmi Varii in Ordine Iud. Precum 16. CPoli anno 290.

Extat in Bibliotheca Romani Collegii huius Ordinis exemplar, unde varias, quum Romae eſſemus, lectiones decerpſimus.

1535.

* Prophetae Priores cum Comm. Kimchii in Fol. Theſſalon. anno 295.

Illuſtravimus ſuperius cap. XII. perraram hanc editionem, de qua ſilent omnes Bibliographi.

1539.

* Decalogus Hebraice ex Exod. XX. et Deut. V. una cum Alphabeto Hebr. et Graeco 12. Pariſiis apud Rob. Stephanum.

1538.

* Pſalterium Hebr. in 16. Venet. Bomberg. anno 298.

Nova editio plane diverſa ab altera anni praecedentis, quam fecit idem Bombergus, ut conſtat ex collatione utriusque editionis, quam poſſideo.

* Proverbia Hebr. 16. Venet. Bomberg. an. 298.

* Quinque Meghilloth Heb. 16. Venetiis Bomberg. eodem anno.

Nota, quod etſi ſeorſim, et cum novo titulo ſinguli libri a noſtro auctore omiſſi una cum Iobo, ac Daniele reperiantur impreſſi et editi, nihilo tamen ſecius non ſunt niſi totidem partes Agiographorum, et plagularum numeris connectuntur. Haſce partes poſſideo, et in Bibliothecis vidi, ſed libros Esdrae, Nehemiae, ac Paralipomenon numquam vidi, nec ab ullo memorantur, unde nec editos puto.

1541.

Digitized by Google

1 5 4 1.

Meghilloth cum Var. ſectionibus Biblicis ac plerisque Pſalmis in Machazor Italico in Fol. Bononiae an. 301.

Nonnulla exemplaria membranacea celeberrimi huius Machazor excuſa ſunt, ex quibus unum pulcherrimum vidi apud Iudaeos mutinenſes. Chartacea plura aetatem ferunt, eorumque unum extat etiam in Bibliotheca Propagandae Fidei. Sacra Volumina variis lectionibus non deſtituuntur, et Cant. V, 4. in hoc Machazor legitur עלי loco עליו, Eccle. vero I, 16. בירושלם pro על ירושלם.

1 5 4 3.

Aphtaroth, ſeu Propheticae ſectiones ex ritu hiſpano 4. Venet. anno 303.

Catal. Bibliothecae Oppenheimeri Prag. num. 440. pag. 26.

1 5 4 4.

Pſalterium Hebr. in 16. Venet. Bomb. an. 304.

Editio Bibliographis ignota, quae extat Florentiae in Laurentiana.

1 5 4 6.

Pſalmi L. et amplius in Ordine Iud. Precum 16. Venet. an. 5306.

Poſſedi olim membranaceum exemplar huiuſce ordinis.

1 5 4 7.

• Pentateuchus cum Comm. breviori, ac ſelecto R. Iechielis in 4. min. Venet. in domo Iuſtiniani anno 307.

Maſchius pag. 121. affert alteram editionem cum Targum, V. Megh. et Aphtaroth, ſubditque le Longium hanc, de qua loquitur, editionem ad earum claſſem referre, quae Textum Hebraeum ſine chaldaica paraphraſi exhibent. In hoc le Longium non erraſſe, quin immo accuratum fuiſſe, conſtat ex noſtra hac editione a Maſchio praetermiſſa, quae chaldaicam paraphraſim non habet.

• Pentateuchus Polyglottus in Fol. CPoli an. 307.

Digitized by Google

Falſum, quod obſervat Maſchius pag. 395. verſionem hiſpanicam huius Pentateuchi eandem eſſe cum Ferrarienſi anni 1553. Contrarium nos evicimus in Comm. de Typographia Hebraeo-Ferrarienſi pag. 86. ſeqq. edit. parmenſis.

• Pſalterium Hebr. 16. Baſil. MDXLVII.

Illud obſervatione digniſſimum, quod tamen nec ad hanc editionem, nec ad alteram an. 1538. animadvertit noſter auctor, tum in hac editione, quam poſſideo, tum in commemorata anni 1538, quam vidi in Bibliotheca Caſanatenſi, ſub finem exhiberi ſyllogem ſelectarum Var. Lectionum ſub titulo *Catalogus quarumdam Heb. dictionum*, *quae varie in Pſalmis leguntur*. In editione 1538. has lectiones numeraui viginti octo, in hac noſtra non ſunt niſi viginti ſeptem.

1 5 4 8.

• Pentateuchus cum V. Megh. et Apht. in 4. Venet. Bomberg. anno 308.

In quarto et cum Aphtaroth eſt hic Pentateuchus, quem poſſideo caerulea charta impreſſum, non in 8. et cum ſolis Meghilloth, ut referunt le Longius, Wolfius, ac Maſchius. Nec enim puto exiſtere minorem aliam Pent. editionem ab illo typographo hoc eodem anno curatam. Typi ſunt elegantes, ac nitidi. Annus legitur in fronte, ſub finem vero extat nomen Adelkindii Typographiae praefecti.

1 5 4 8 - 4 9.

Biblia Rabbinica Bombergi in Fol. IV. Voll. anno 308 et 309.

Hanc editionem referens Maſchius notat pag. 103. in ea Davidis Kimchii Commentarium in librum Esdrae de novo acceſſiſſe. Moſis, non Davidis ſcribendum erat, ut reapſe ſcribunt le Longius, ac Wolfius, et ut titulus 1. Voluminis horum Bibliorum exhibet. At vero neutrius hic Commentarius exhibetur, nec Moſis, nec Davidis, ac purum putidumque Typographi, vel editoris mendum habendum, quod Moſem Kimchium pro Iarchio in fronte operis invexerit, unde auctores illi decepti ſunt. Mendum hoc repetitum eſt in ſequenti editione Biblior. Rabb. an. 1568, quam poſſidemus, ſed ſublatum in utraque editione in titulo poſtremi Volum. Agiographorum, in quo dicitur dari Esdram cum Comm. Aben Eſrae, et R. Salom. Iarchi. Ex his corrigantur etiam, quae notat

Ma-

Maſchius ad Biblia Rabbinica Buxtorfii pag. 105. Kimchii Commentarium in Esdram eliminatum fuiſſe.

1 5 5 0.

Pentateuchus cum V. Megh. et Apht. in 4. CPoli imperante Solimano II.

De hoc Pentateucho agunt le Longius pag. 73. Col. I. (non pag. 72. col. 2, ut habet Maſchius), ac Wolfius T. II. pag. 387. (non 386, ut iterum mendoſe apud noſtrum auctorem legitur); ſed neuter annum notat 1550. Haec editio ex Bibliotheca Coislinienſi, ſeu Metenſis Epiſcopi Car. Henr. de Camtout, tranſiit in Bibliothecam Regiam, et eadem eſt cum editione in eius Catalogo notata. Auctores autem Catalogi rurſus absque anno faciunt, eamque curatam conſcribunt ab anno 1520 ad 1540. Praeterea iidem auctores afferunt eam adiunctum habere Commentarium Iarchi, quem reticet Maſchius; unde haec editio in eius Bibliotheca ad earum claſſem referenda erat, quae commentario inſtructae ſunt.

1 5 5 1.

Pentateuchus cum V. Megh. 4. Venet. Iuſtinian. an. 311.

Vidi Romae in Bibliotheca Propagandae Fidei exemplar membranaceum huius Pentateuchi, ſub cuius finem legitur: „Abſolutum autem „eſt opus, opus ſanctum ſub finem menſis Ellul anno 311. minoris ſup„putationis opera praefecti Typographiae Cornelii Adelkindii miniſtri „domus domini Marci Antonii Iuſtiniani.„

Editio haec continebat folia 144, ac totidem continet primum Volumen integrorum Bibliorum hoc anno editorum, quae in manibus meis ſunt, cum quibus ita etiam in reliquis congruit haec editio, ut non dubitem eandem prorſus eſſe, atque eundem Pentateuchum illum cum I. Bibliorum Volumine ſeorſim forte edito, vel divendito. Ceterum Nota annum 312, quem auctor noſter reperiri afferit ſub initium priorum Prophetarum, haberi etiam ſub init. Proph. Poſteriorum, et Agiographorum, et ſub finem totius editionis.

1 5 5 5.

* Pentateuchus ſine punctis cum V. Megh. et Aphtar. in 4. Ferrariae cura Abrahami Usque an. 315.

Perrara, immo Bibliographis omnibus incognita, et optima editio, quam fuſe illuſtravimus in Com. de Typogr. Heb. Ferr. Cap. IV. pag. 46. ſeqq. ubi eius epigraphes, ac var. lectionum ſpecimen produximus.

1 5 5 6.

* Oſeas, Ioel, Amos, Obadias, et Ionas cum 3. Comm. 4. Paris. 316.

Corrigendus ad hanc editionem Index chronologicus noſtri auctoris. Quinque tantum prophetae minores editi, et quidem a Roberto, non a Carolo Stephano, ut recte in opere ipſo obſervatur pag. 138.

1 5 5 7.

* Pſalmi LXX. et alia in Compendio Machazor, ſeu Iudaic. Prec. 12. Mantuae anno 317.

1 5 5 8.

* Pentateuchus cum Aphtar. anno 318.

Pentateuchus hic, quem vix ex Wolfio memorat auctor noſter pag. 72. adnexas habet V. Meghilloth, et quamvis in eo locus deſideretur, character tamen certiſſime prodit eum excuſum fuiſſe Sabionetae. Conſulantur quae de eo diximus in Annalibus Hebraeo-typographicis Sabion. pag. 26. ſeq. ubi etiam monuimus, membranaceum huius editionis exemplar apud nos extare.

1 5 5 9.

* Ruth Hebr. in 4. Pariſiis apud Martinum Iuvenem.

Editio a le Longio, Wolfio, et Maſchio omiſſa, quae eſt apud me Titulo inſignitur Hebraeo-latino diciturque in fronte facta *Pariſiis apud Martinum Iuvenem, ſub in ſigni D. Chriſtophori e regione Gymnaſii Cameracenſium anno* 1559. Charactere conſtat quadrato cum punctis et accentibus, et foliis ſex. ſub finem haec extat epigraphe a Chriſtiano editore, ut videtur, editioni appoſita: *Finitus, et abſolutus eſt liber Ruth. Laus Deo educenti nos e ſervitute in Libertatem.*

1 5 6 0.

Pſalterium Hebr. cum Comment. Kimchii Fol. Isnae 1560.

Ex fide catalogi Biblioth. Baumgartianae refert Maſchius pag. 145. editionem hanc, eamque Paulum Fagium ſubdit procuraſſe. Suppoſititia ea mihi videtur, nec aliter in nuperrimis ſuis ad me datis litteris opinatur doctiſſimus Hufnagelius. Poſtquam enim Fagius anno 1543. Conſtantiam, ac paullo poſt Argentoratum petiit, varias utrobique lucubrationes edens, tandem anno 1549. in Angliam profectus Cantabrigiae hoc eodem anno fato functus eſt. Confudit ergo Baumgartenius hanc editionem cum altera Isnae reapſe a Fagio curata anno 1542.

1 5 6 1.

Daniel Hebr. cum latina Verſione et Commentariis Calvini Fol. Genevae 1561.

Sub titulo Praelectionum in Prophetas, et in Danielem. Taurini habui prae manibus.

Quatuor Meghilloth, ſeu ſacra Volumina in Machazor in 4. Cremonae anno 321.

Vidi apud Iudaeos Ferrarienſes.

* Ruth cum Comm. Salomonis Alkabetz 4. CPoli anno 5321.

Ad hunc annum referendam puto editionem hanc, quam Wolfius, et Maſchius referunt ad annum 1566. Quum enim vocabulo השׂג״ית non innuat titulus, ut fieri ſolet, minorem comprehendi ſupputationem, hinc maiorem eo exhiberi, et He quinque hic millenaria deſignare fere pro certo tenendum eſt.

1 5 6 3.

* Daniel cum Commentario Alſuk in 4. Saphetae anno 5323.

Primum He in vocabulo החמ״שה, quod annum complectitur, millenaria denotat, ac proinde maior, non minor hic aera deſignatur. Unde ad annum hunc referenda eſt haec editio, quam Wolfius, et Noſter referunt ad annum 1568.

1 5 6 8.

Sectiones Legis ac Prophetarum in Machazor ritus Polonorum Fol. Ven. an. 328.

V. Wolf. T. II. pag. 1335.

1 5 7 1.

Pſalterium cum Comm. Iabetz 4. Theſſalonicae anno 331.

De hoc Pſalterio, quod prae manibus habui Liburni, illud notandum in titulo dici excuſum anno 5031, omiſſis Typographi oſcitantia centenariis. Facta eſt editio ſub Sultano Solimano.

1 5 7 8.

* Eccleſiaſtes cum Comm. R. Moſis Galante in 4. Saphet. an. 5338. Editio omiſſa, quae apud me extat ſub titulo קהלת יעקב *congregationis Iacob*. Textus ſacer eſt char. heb. quadrato exaratus ſine punctis. In fronte dicitur curata in domo R. Abrah. Askenazi opera R. Eliezeris filii Iſaaci die XXV. Cheſvan anno כִּי קְרֵבָה, ſcilicet 5338, ſupputato ה pro quinque millenariis. Complectitur opus folia 103, et ſub fin. abſolutum legitur die X. menſis Ellul anno שלח, 338. opera Abr. ben Iſaaci Askenazi, et Eliezeris ſuperius commemorati.

Geneſis Hebr. in 8. Romae an. 5338.

Rariſſimam hanc editionem, cuius vix meminit Maſchius, vidi Romae in Bibliotheca ſanctae Pudentianae Patrum Ciſtercienſium. Hic in fronte titulus hebraice occurrit: „Liber Geneſis impreſſus anno 5338. a „Creatione in Urbe Romae opera ſociorum Victorii Aeliani, et Franciſci „Zanetti.„ Latine vero ſequitur *cum Licentia ſuperiorum Romae MDLXXVIII*; quod in fine repetitur cum fuſiore alia, hebraica Epigraphe, quam hic exhibemus. „Impreſſus hic in Urbe ſancta Romae Celeberrima, opera Franciſci Zanelti, magnaque cura correctus cum radicibus ad marginem per Victorium Aelianum fratrem ſacerdotis P. Iohannis Baptiſtae Romani e ſoc. Ieſu, et de mandato eius anno 1578. adventus Redemptoris Noſtri, anno VII. Pontificatus Domini Noſtri Sacerdotis Magni, ac Patris Noſtri Sancti Gregorii XIII; cuius Maieſtas et „Regnum exaltetur. Amen.„

1 5 8 0.

Quinque Meghilloth, ſeu Sacra Volumina in 16. Romae apud Franciſcum Zanelti anno MDLXXX.

Editionem hanc a noſtro auctore, ceteriſque Bibliographis praetermiſſam vidi Romae in Bibliotheca Collegii Maronitarum, et Mediolani in

in Bibliotheca Braidenſi. Ea facta eſt charactere quadrato, et habet paginas 168.

I 5. 8 I.

• Pſalterium Hebr. in 16. Romae MDLXXXI.

Perrara editio, quam vix ex le Longio ac Wolfio innuit Maſchius, nos vero ex exemplari noſtro breviter deſcribemus. In fronte Hebraeus titulus primum occurrit: „Liber Pſalmorum excuſus in Urbe Romae „celeberrima in domo Meſſer Franciſci Zanelti, correctus autem opera „Victorii Aeliani anno 341. minoris ſupputationis, anno VII. Domini „Noſtri Pontificis Patris Noſtri Gregorii XIII, cuius maieſtas, ac regnum „extollatur. Amen.„ Sequitur brevis titulus latinus: „Liber Pſalmorum. „Romae apud Franc. Zanettum MDLXXXI. ſuperiorum permiſſu.„ Illud ſingulare, quod verſiculi uniuscuiusque Pſalmi arabicis numeris in margine diſtinguuntur. Conſtat paginis 318. praeter Tabulam.

• Pſalterium Hebr. 16. Antwerpiae anno 341.

Integer titulus huius Pſalterii vix ab auctore noſtro commemorati eſt: „Liber Pſalmorum impreſſus magna diligentia opera Chriſtophori „Plantini anno 341. minoris aerae hic in Urb. Celeberrima Antwer„piae.„

I 5 8 4.

• Pſalterium Hebr. cum Verſione hiſpanica charactere Hebraeo 4. Theſſalonicae anno 344.

Rariſſima editio Bibliographis omnibus ignota, quae apud me extat. Iſaiam, ac Ieremiam, quem etiam poſſideo, una cum hiſpanica verſione anno 1569. edere coeperant Theſſalonicenſes Iudaei, ſed ab opere eos ſuperſediſſe, ac nihil praeterea edidiſſe, conſtantiſſime coniiciunt Wolfius ac Maſchius. „Colligere mihi poſſe videor, inquit Wolfius „T. II. pag. 137. duos hos Prophetas uno hoc volumine coniunctos „illo tempore tantum lucem vidiſſe. De ceteris ſacri codicis libris eo„dem modo editis nihil unquam legere me memini.„ Wolfium ſequitur noſter auctor, qui poſtquam et ipſe obſervat pag. 181. unicum illud, quod notum eſt, exemplar, nonniſi Prophetias Iſaiae, ac Ieremiae continere, *editorem abſoluto hoc volumine conſilium ſuum mutaſſe non ſine ſpecie veri colligendum eſſe* opinatur. At vero falſo haec conIici, ac colligi noſtra haec editio evincit, iisdem typis ac forma confecta,

fecta, quibus exarati ſunt duo illi maiores Prophetae. In fronte hunc gerit titulum : ספר תהלים בלשון קדש ובלשון לעז כדפס בעיון רב בבית הצעיר והקטן דוד בן לאדני אבי בה״ר אברהם אזוביב הנצבת בשאלונוק . . . ביום שני ראש חדש טבת משנת הנה אנכי שולח לכם וגו׳ „Liber Pſalmorum lingua ſancta et lingua vulgari, impreſ-„ſus maximo ſtudio in domo puſilli ac minimi Davidis filii Domini „Patris mei, filii R. Abraham Azovev, cuius anima colligata ſit in „faſciculo viventium, Theſſalonicae, Urbe Auguſti regis ac domini „noſtri regis magni, et excelſi Sultani Murath, cuius maieſtas exalte-„tur, et cuius regnum augeatur. Amen. Feria ſecunda, quae initium „eſt menſis Teveth anni, ego mitto (344.) vobis Eliam Prophetam „cito in diebus noſtris Amen. Qui adiuvit nos ut inciperemus illum, „dignos nos faciat illum abſolvere, et facere libros multos, donec nul-„lus ſit finis, ſeu infinitos, veniatque ad Sion Redemptor. Amen. „Sic faciat Deus.„ Editio complectitur folia octoginta. Uterque textus, Hebraeus, et hiſpanicus hebraeo charactere expreſſus eſt cum punctis.

1 5 8 6.

Eccleſiaſtes cum Comm. R. Samuelis Ariphol in 4. CPoli an. 346. Prodiit ſub titulo לב כחם, et vidi apud Iudaeos liburnenſes.

1 5 8 7.

Biblia Hebr. Hutteri Fol. Hamburgi.

„Primus eſt auctor, inquit ad haec Biblia pag. 35. Maſchius, „qui libros feſtivales inter Hagiographa collocavit ſequenti ordine: „Pſalmi, Proverbia, Iob, Canticum Cantic. Ruth, Threni, Eccleſia-„ſtes, Eſther, Daniel, Esdras, Nehemias Paralipomena.„ At vero libri illi inter Agiographa hoc ipſiſſimo ordine collocati reperiuntur in meo exemplari Agiographorum Neapol. 1487. in meo exemplari Biblior. Bomb. an. 1518. in 4. in Bibliis Munſteri 1536. in Bibliis Rabbin. Venetis an. 1526. In Bibliis ſoncin. 1488. ſeparatis plagulis novaque earum numeratione impreſſi ſunt, ut comode utrobique pro arbitrio collocari poſſent, et ſub fin. Pentateuchi, et inter Agiographa. Hoc idem factum eſt in Bibliis Brixienſibus, inter quorum exemplaria apud me extantia reperitur reapſe unum mutilum, quod libros illos eo ordine refert inter Agiographa ſtatim poſt Iobum, et ante Danielem.

Quod

Quod vero ſpectat ad ordinem, quem ſervant inter ſe hi libri, editiones omnes antiquae, quas poſſideo, ideſt fere omnes, quae prodierunt, eundem illum ordinem ſervant, excepta editione primaria Bononienſi anni 1482, in qua primum occurrit Ruth, deinde Eccleſiaſtes, Canticum, Threni, et Eſther, ut ad illam animadvertimus.

1588.

* Pentateuchus Heb. cum V. Megh. et Aphtaroth ſine punctis in 24. Venet. anno 348. apud Ioh. de Gara.

Duplex in hac editione aera occurrit, altera anni 5348. ſub initium pentateuchi, qui foliis conſtat 162, hancque aeram Buxtorfius, ac le Longius ſequuntur. Wolfius ac Maſchius, qui ad annum ſequentem editionem amandant, epocham reſpiciunt, quae legitur ſub initium V. Meghilloth, et Aphtaroth, quae novo titulo inſigniuntur. Utrobique enim dicuntur impreſſae anno אשׁ״מח, ſeu 349, minoris ſupputationis. Typi ſunt rabbinici, ſed luculenti, ac nitidi, nonnullasque varias huius editionis lectiones alibi produximus in integra collatione iterum afferendas.

1589.

* Pentateuchus cum Targum et Commentario Iarchii in 8. Mantuae anno 349 - 350.

Referens Maſchius pag. 125. Pentateuchum anno 1591 Mantuae impreſſum, notat iam anno praecedenti eodem modo, eodemque editore Pentateuchum prodiiſſe non citra veri ſpeciem Wolfium aſſerere. Quod Wolfius aſſerit, ex hac noſtra editione confirmatur, quae in manibus meis eſt. Duplex in ea aera occurrit, altera in titulo ann. כמ״כר גאלה, ſeu 349, altera ad calcem, vocabulo ק״רן, ſeu 350, indicata. Nota etiam, haberi hic Targum, quod auctor noſter non memorat, atque ad hanc editionem referri debere, quinque Meghilloth, et Aphtaroth, quas ad annum ſequentem producimus. Etſi enim novo titulo, et anno, novaque plagularum enumeratione inſigniantur, eodem tamen charactere, loco, forma, anno impreſſae ſunt, et in Pentateuchi titulo ut ad eum ſpectantes, memorantur. Editio facta eſt ex mandato Ephraimi fil. Davidis de Padua Typis ſcribae R. Meier eius generi per manus Moſis filii Chadriel Weiſe Pragenſis in domo Iacobi

Roſenelli, illudque habet ſingulare, quod divina nomina per Daleth pro antiquarum editionum more excuſa ſint. Conſtat foliis 564. Suppoſititia forte eſt editio anni 1591, et ex noſtra hac enata, quum non adeo veroſimile ſit, eundem typographum iteratam huius Pentateuchi editionem, anno proxime ſequenti, curaſſe.

1 5 9 0.

• V. Meghilloth et Aphtaroth in 12. Mantuae anno 350.

Characterè quadrato cum punctis, ſeorſim, ut ex Titulo conſtat, editae. In fronte dicuntur impreſſae „Mantuae ſub dominio cel„ſitudinis Domini noſtri Ducis Vincentii Gonzagae, cuius gloria exal„tetur anno יכפר nomine Ephraim de Padoa." Sub finem dicuntur abſolutae die XXV. menſis diar. anno קרן, ſeu 350.

Pentateuchus cum Targ., V. Megh., et Comm. Raſci in 8. Venet. anno 350.

Notandum hunc Pentateuchum, qui binis Voll. conſtat, et foliis 828. exhibere etiam Aphtaroth, notas Baal Turim, et Targum poſterius in Eſther, et ſub finem dici abſolutum anno נשא 351, Chriſti 1591. Exſtat in Caſanatenſi. V. eius Catal. T. II. pag. 649.

1 5 9 7.

• Canticum Canticorum cum Verſione hiſpanica litteris hebraeis, Targum, et Comm. Abr. Laniado in 4. Venet. anno 357.

Sub titulo ס' נקדות הכסף, et anno בשנת טובה ex mandato Petri et Laurentii Bragadini in domo Iohannis Kajon. Complectitur folia 70. Textui adhaeret Laniadi Commentarius, Paraphraſis vero chaldaica verſioni hiſpanicae.

1 6 0 8.

• Prophetae Poſteriores cum Comm. Raſci 4. Venet. an. 368.

Expungenda haec editio, nec ſeorſim referenda, quia eſt pars integrorum Bibliorum anni praecedentis 1607. Etenim ſub finem Prophetarum, et Agiographorum habetur annus 368, et dicitur „*Abſolu*„*tum* omne opus, opus ſanctum, hodie feria V; die 17. menſis cheſvan anno 368. min. ſupputationis.

1611.

1 6 1 1.

Biblia Hebr. cum triplici Targum in Pentateuch., et Comm. Raſci per Abrah. ben Eliezer in 8. Hanov. J. Hana 1611.

Editio, quae fidei innititur Catal. Bibliothecae Regiae Pariſienſis Tom. 1. pag. 2., ſed quam ſuppoſititiam iudico.

1 6 1 3.

* Biblia Hebr. in 4. Venet. in domo Io. Kajon, et ex mandato Io. Bragadini anno 373 - 375.

Multa hic in noſtro auctore emendanda. Falſum eſt utramque editionem in 4, et in 12. nonniſi ſola externa forma differre, atque uno eodemque tempore praelo fuiſſe exſcripta. Toto coelo duae hae editiones, quas ego poſſideo, inter ſe differunt. Haec in 4. typis maioribus, nitidis, ac Venetis exarata eſt, contra minor in 12. typis minimis, nec nitidis Sabionetae, ut notatur in fronte. Prior coepta ex anno 1613, et abſoluta anno 1615, altera coepta ex anno 1615, et abſoluta anno 1616. Illa ubique in fronte dicitur ſuſcepta ex mandato Ioh. Bragadini, haec in fronte trium Voluminum ex mandato Petri, in fronte vero Poſt. Prophetarum ex mandato Laurentii Bragadini. Falſum eſt etiam, quod Maſchius notat, hoc peculiare habere editionem hanc, quod littera ש puncto diacritico careat. In utraque punctum hoc diacriticum conſpicitur; etſi in plurimis locis ex ſolo characteris debiti defectu omittatur, non de induſtria, et ex Editoris conſilio.

1 6 1 4.

* Biblia Hebr. in 12. 4. Voll. Venet. Bragadin. anno 374 - 375.

Le Longii ac Wolfii errorem, quem autor noſter ſequitur, curſim emendavimus De Typogr. Heb. Ferrar. pag. 49., ubi non anno 1614 - 1615, ſed 1615 - 1616. prodiiſſe minora haec Biblia obſervavimus. Legitur enim ſub finem poſt Tabulam Aphtaroth. „*Abſolutum* fuiſſe omne opus, opus Domini, Venetiis feria ſexta, die XXI. „menſis Caslev anno שלום, ſeu 376.“

Digitized by Google

1 6 1 6.

* Pſalmus XXXIV. Hebr., Item duo Priora Capita I. Sam. in 8. Antwerp.

Ac quidem Pſalmus ille bis, ſeorſim, et cum exercitatione grammatica. Extant in exercitatione Grammatica Bellarmini in 8. Antwerp. a Plantino hoc anno edita.

1 6 2 0.

Pſalterium Heb. in 16. Venet. an. 380. Vidi Romae in Bibliotheca Vallicellana.

Pentateuchus cum Meghill. iuſſu Petri Bragad. in domo Ioh. Cajun 12. 380.

Suppoſititiam puto hanc editionem, et natam ex ſuppoſitione ה in vocis הֿשעה, quae annum denotat in 1. Volumine Bibliorum anni 1615, quod Pentateuchum cum V. Meghilloth complectitur. Ea enim littera in ſupputationem minorem aſſumpta fit annus 380, Ch. 1620.

1 6 2 1.

Samuelis Libri Heb. Lat. 12. Lugd. Batav.

Nota hanc editionem, quam vidi Mutinae in Bibliotheca Ateſtina, et Romae apud Fabricy, in titulo falſam aeram exhibere anni MDXXI, omiſſo integro centenario.

1 6 3 1.

Pentateuchus cum V. Meghill. et Apht. ſine punctis 16. Venet. anno 391.

Hic Pentateuchus prodiit ex Typographia Vendramina; charactere conſtat rabbinico, et editus in fronte dicitur anno הישׁעה. Vide in Caſanatenſi.

1 6 3 2.

Pſalterium Hebraeo - Latinum in Gordonii Comm. T. II. Fol. Pariſiis.

In II. Volumine poſt Pſalterium Graeco - latinum exſtat Pſalterium Hebraeo - latinum ex verſione Pagnini, et continet paginas 66. Hinc imme-

Digitized by Google

immerito inter editiones Polyglottas, vel Triglottas a le Longio, ac Maſchio noſtra haec editio refertur.

Pentateuchus cum Targ., V. Megh., et Aphtaroth in 8. Ven. ex Typogr. Vendramina anno 5392.

Annus indicatur vocabulo הש״צב, et maioris ſupputationis eſt.

1 6 3 3.

Biblia Heb. 12. Voll. Venetiis an. 393 - 395, ſeu 1633 - 1635.

Typi huiusce editionis auctori noſtro, ut et le Longio, ac Wolfio ignotae, maiores ſunt, ut typi editionis alterius in 4. anni 1635, ut collatione inſtituta litteris ſuis me edocuit Fabricy. Vidi et ego apud Iudaeos Caſalenſes. In I. Volumine hic titulus conſpicitur. „V. „Libri legis, Prophetae Priores, Poſteriores, et Agiographa cum ex„poſitione vocum difficiliorum lingua Germanica, Venetiis ex man„dato Ioh. Vendramini et opera eius praefecti Ioh. Kaleoni anno „395." Nota, mendoſe hic aeram exhiberi — שנת הש״צה לפק anno 400 minoris ſupputationis. Aerae enim ceterorum voluminum demonſtrant ſupputationem hanc eſſe maiorem, et ה quinque millenaria denotare, niſi fingatur quinque poſt annos novam hanc operi aeram ſeriorem fuiſſe praefixam. Si reapſe, ut arbitror, mendum cubat, crediderim etiam Pentateuchum, quem ad an. 1640. referunt le Longius, Wolfius, ac Maſchius, eſſe primum Volumen horum Bibliorum anni 1635. Omnia enim cohaerent. Exemplar Caſanatenſe exhibet expoſitionem difficiliorum vocum lingua hiſpanica; unde vel error in titulo eſt, vel reapſe exemplaria cuſa ſunt cum utraque expoſitione, ut ſaepe factum eſt, in gratiam Iudaeorum utriusque ritus, et idiomatis. Prophetis Prioribus ac Poſterioribus praefixus eſt annus 393. Agiographa exhibent in titulo ann. 394, in fine 395.

1 6 4 4.

Pentateuchus cum Targ. et Praeceptis ad marg. numeratis in 8. Venet. anno 404.

Habui aliquando prae manibus, et vidi apud Iudaeos.

1 6 4 6.

Pſalmus XXXIV. Hebr. cum verſione latina, vel analyſi.

Extat in Schickardi Horologio Hebr. 12. Franekerae 1646. p. 110.

1 6 5 2.

* Iſaia ſine punctis cum Comm. R. Salomonis ben Iſaac in 4. Veronae anno 412. min. ſupputationis.

Sub titulo ס' תיקון עולם, ſeu *Libri conſtitutionis mundi.* Annus indicatur vocabulo בי"ת, et dicitur in fronte editus opem praefecti typographiae minimi Abrahami Chai Ortonae filii Davidis, et per Franciſcum Roſſi. Sub finem vero dicitur „*Abſolutus* per manum artificis „operis ſancti, ut mercatur cum multis, Moſis Simeonis filii R. Sab„taei Baſilae ex Synagoga Mantuana." Editio conſtat foliis 192.

1 6 5 5.

Biblia Hebr. cum Comm. Iarchi in 4. 2. Voll. Venet. anno 455. min. ſupputationis.

Vidi apud Iudaeos Caſali Montisferrati. Pſalterium Heb. 12. Venetiis Caleoni an. 455. min. ſupputationis.

Ita in titulo habet haec editio התי"ו לפ"ק, ubi monetur minorem indicari aeram, et ad eandem litteram He eſſe referendam. Sed mendoſus eſt hic titulus, et aera, ut conſtat ex Italica ſtatim ſubiecta anni 1650. Vidi apud Iudaeos mutinenſes.

1 6 6 2.

* Sectiones variae biblicae, et Pſalmi XXVIII. circiter in ordine Iud. Precum 12. Mantuae anno 422.

Eſt apud me huius ordinis exemplar charta coerulea impreſſum.

1 6 6 4.

* Canticum Canticorum cum Targum, et verſione hiſpan. litteris Hebr. Ven. ex Typ. Vendramina per Dominicum Vedelago an. 424.

Sub

Sub finem: „et abſolutum fuit opus feria ſecunda, die XII. men„ſis Niſan anno 424. min. ſupput. per manus praefecti typographiae „Victorini filii David."

1 6 6 5.

Pentateuchus cum V. Megh. et Apht. in Fol. Ven. ex Typograph. Bragadina anno 425.

Anno כעשה. Vidi Venetiis et alibi.

1 6 6 6.

Pentat. Heb. Tikon Sopherim in 8. Amſtelodami anno 426.

Cura Benedicti Roſa. Ex Ms. nota Rabbini Amſtelodamenſis Cl. Crevennae ſtudio ac beneficio in uſus meos concinnata.

1 6 6 8.

Pſalterium Heb. diſpoſitum iuxta dies hebdomadae 4. Pragae anno תכח 428.

Charactere quadrato germanico cum punctis. Extat in libro Precum iudaicarum ibidem eodem anno impreſſo, quem habui prae manibus Caſali Montisferrati.

1 6 8 2.

Pentateuchus cum 3. Targumina, et Comm. Raſci 4. Amſtelod. anno 442.

Memorat Catal. Bibliothecae Oppenheimeri Pragenſis p. 26. Nr. 447.

1 6 9 0.

Biblia Heb. in 4. 4. Voll. Venet. ex Typogr. Vendram. anno 450.

Extat in Canatenſi, eamque notat Tom. II. Catalogi pag. 647. Nos tamen uberiorem hic deſcriptionem ſiſtimus ex litteris cl. Fabricy. Quaelibet Bibliorum pars titulo conſtat, in quo latinis litteris notatur annus 1690, etſi in III. Volumine annus hebraice deſignetur vocabulo הושיעני, quod annum dat min. ſupput. 451, Chriſti 1691. In unaquaque etiam notatur nomen typographi, vel Correctoris Iacobi filii

 R.

R. Iſaaci Levitae. Priora tria volumina continent folia 370, Agiographa vero 119 praeter Tabulam Aphtaroth, et epigraphem Davidis filii Salomonis Altaras, in qua tamquam typographus, et operi praefectus nominatur quidam Ioſeph filii R. Salomonis Iſrael Lugdunenſis.

1 6 9 1.

* Danielis caput IX. et alia Oracula Polyglotta Fol.

In Bogdani *Infallibile Verita della Fede* Italice et Illirice Fol. Ven. hoc anno duabus partibus.

1 6 9 5.

Canticum Canticorum Heb. cum Targum in 8. Venet. ex Typograph. Bragad. anno 455.

Cum punctis tum quoad textum, tum quoad Targum. Vidi apud Iudaeos Florentinos.

1 7 0 0.

Pentateuchus cum V. Meghilloth, Aphtaroth, et Comm. Iarchi 12. Amſtelod. anno כתם, ſeu 460. min. ſupput.

Cura Davidis Nunnes Torres, et in domo Emanuelis filii Ioſephi Athias, ut legitur in fronte. Propheticae Sectiones, quae novo titulo inſigniuntur, aunum prae ſe ferunt אתכם, ſeu 461, et ſunt ſine commentario. Maſchius memorat ſolum Pentateuch. ſine commentario huius anni, loci, et typographi.

1 7 0 2.

Pentateuchus Heb. in 8. Amſtelodami anno 462.

Per Gaſparum שמען. In titulo annuntiantur etiam Aphtarae, ſeu Sectiones Propheticae, ſed deficiebant in exemplari, quod Mutinae habui prae manibus.

1 7 0 3.

Pentateuchus Heb. in 4. Amſtelod. anno 463.

Typis maioribus per eundem Gasparum שמען ex Ms. nota Amſtelodamenſi, niſi forte idem ſit cum praecedenti.

1704.

Digitized by Google

1704.

Pentateuchus cum V. Megh. et Aphtar: in 4. Venet. anno 464.

Anno אמת יהגה. Vid. apud Iudaeos Taurinenſes.

1705.

Biblia Heb. in 4. Venet. ex Typogr. Bragad. anno 462 - 465. 4 Voll.

Primum volumen huius editionis, quam le Longius, Wolfius, Maſchius praetermittunt habet in titulo annum לך האות 462, ſecundum, et tertium החנה 463, Agiographa ann. אמת יהגה 464. Sed in epigraphe, quae legitur ſub finem Paralipomenon, et totius operis, dicitur „completum opus die XXII. menſis Caslev anno חכה 465. opera praefecti typographiae minimi Ioſephi filii R. Iacobi Coen. De hac edit. conſul. etiam catat. Biblioth. Caſanal. T. II. p. 647., ubi typographico mendo pro 1705. legitur 1605.

1707.

Biblia Hebr. in 4. Venet. ex Typographia Bragadina anno 467.

Nota in titulo haberi annum 466. Ea vidi apud Iudaeos Liburnenſes, et Ezech. XXXVI. 23. obſervavi habere in textu ipſo לעיניהם. ad marg. vero לעיניכם.

1710.

Pſalterium aere inciſum ſtudio Peringeri in 8.

V. Memor. Trivoli; et Catal. Lovek. pag. 12.

1712.

Canticum, Ruth, Threni, Eccleſiaſtes in Machazor German. Fol. 2. Voll. anno 5472.

Anno בעתה a Creatione ex Typogr. Bragadina, apud Iudaeos Venetos.

1 7 1 3.

Eccleſiaſtes, Ruth, et Cant. in Machazor Polonor. et Germ. 4. 2 Voll. Amſtelod. an. 473. Sal. Proops.

Wolf. Tom. II. pag. 1338, qui etiam memorat ſequentem editionem.

Eccleſiaſtes, Ruth, et Cant. in Machaz. in 4. ib. eod. an. apud Chaiim ben Iacob Chaiim.

1 7 1 4.

Meghilloth in Machazor Germ. et Polon. in 18. Amſtelod. anno 474.

Wolf. Bibl. H. T. IV. pag. 1049. ſed quum innumerae extent editiones Machazorim variorum rituum, ideo innumerae quoque extant editiones eorum ſacrorum Voluminum, quae illis inſeri ſolent, ut et Pſalmorum, ac ſectionum Biblicarum.

Pſalterium cum Comm. Kimchii in 4. Dyrenfurthi anno 474.

Memorat Lorckius cit. Indice pag. 12.

1 7 1 9.

Pentateuchus cum Targ. V. Megh. Apht. et Comm. Raſci in 4. Venet. ex Typ. Bragadina anno 479.

Seu anno מה ידידות. Vidi Mutinae apud Iudaeos caeruleum huius editionis exemplar.

1 7 2 0.

Threni cum Iud. precibus 8. Mantuae anno 480.

Biblia Heb. cum Gramm. Altaras in 4. Ven. anno ועֹרת 480.

ex Ms. nota Amſtelodamenſi.

1 7 2 4.

* Biblia Heb. in 8. Amſtelod. anno 484. Salom. Proops.

Ae-

Aera quidem hebraici tituli eſt 484. ſed aera in latino titulo mei exemplaris deſignata eſt 1725. Tria etiam Teſtimonia Schaafii, Schultenſii, Verbrugis huic editioni praemiſſa annum referunt 1725, et quidem menſem Septembris huius anni. Hoc tamen intelligendum de exemplaribus Chriſtianorum uſibus deſtinatis, quibus ſolis poſterior haec aera appoſita videtur. Falſum porro eſt, quod ad hanc editionem notat Maſchius, eam accurate repraeſentare Hoogtianam, ut facto experimento et collatione ego didici, et ut ex ſelectioribus, quae hic ſiſtimus, exemplis abunde conſtabit.

Deut. VII, 13. Hoogtiana ויצהריך nostra in ſing. ויצהרך.

Ibid. XIV, 7. Hoogt. plur. ממעלי, noſtra ſing. ממעלה.

Ibid. XV, 18. Hoogt. ſing. בעינך, noſtra plur. בעיניך.

Ibid. XXXII. 27. Hoogt. ſing. ידנו, noſtra plur. ידינו.

2 Sam. III, 34. Hoogt. plur. ידיך, noſtra ſing. ידך.

Quae autem de inſigni horum Bibliorum correctione a noſtro auctore ſubduntur, non ita accipienda ſunt, ut nullum, vel unum aut alterum mendum irrepſerit. Plura nos deteximus. Conf. potiſſimum Gen. XIV, 14. et 16. XXXVI, 39. Deut. VII, 13. Iſai. LI, 5. LV, 13. XLII, 7. XLII, 11. Ierem. I, 11. I, 14. L, 37, Ezech. VII, 5. Malach. II, 17.

Biblia Rabbinica maiora in Fol. IV, Voll. Amſtelod. anno 484.

Non nulla hic emendanda ex iis quae animadvertit Maſchius, ac illud potiſſimum, quod in hiſce Bibliis primum ex Ms. Codice editi ſint Iachiae Commentarii in Agiographa, qui Bononiae iam prodierant, et nos ex Bononienſi editione poſſidemus. Falſum etiam, quod notat Wolfius, atque auctor noſter confirmat, Commentarium Meiri in Proverbia nunc ex Ms. editum eſſe, cuius editionem Ulyſſiponenſem habemus, et ſupra etiam attulimus.

1 7 2 5.

* Proverbia et Iob in 4. Mantuae an. 485.

Editio haec auctori noſtro aliisque Bibliographis ignota prodiit cum Var. Lectionibus, ſeu correctionibus Norzii. Hinc Prov. VIII, 16. pro ho-

hodierno voc. ארץ ad marg. legit צרק, quod deinde in Bibliis Norzianis an. 1742. in textu ipſo aſſumptum eſt. Abſolvitur liber foliis 22.

1 7 2 6.

Pſalterium Hebr. in 12. Amſtelod. anno 486.

Extat in Caſanatenſi Romae.

1 7 2 7.

Pentateuchus Tikon Sopherim cum V. Meghilloth, et Aphtar. in 8. anno 487.

Catal. Bibliothecae Oppenheim. 12. Hannov. 1764. pag. 34. Nota Ms. Amſtelodamenſis locum huius editionis Amſtelodamum conſtituit.

1 7 2 8.

Pentateuchus cum Targum, V. Meghill. et Aphtar. in 8. 2 Voll. Venet. ex Typogr. Bragadina anno פ"חח 488.

Vidi in Caſanatenſi, et apud Iudaeos Caſalenſes. Conf. Caſan. Bibl. Caſal. T. II. p. 649. Adduntur ad marginem notulae ex Or Torà, et ad calcem dicitur abſolutus opera duorum fratrum Menachem, et Biniamini ben Aaron Polonorum.

1 7 2 9.

Pentateuchus cum Targ. V. Megh. Apht. et Comm. Iarchi 12. Dyrenfurthi an. 489.

1 7 3 0.

Pſalterium Hebr. cum Verſ. Hiſpanica in 16. CPoli anno 490.

Vidi apud Iudaeos Liburnenſes. Sacer textus expreſſus eſt Typis quadratis cum punctis, Verſio vero hiſpanica typis rabbinicis ſubtextae.

1 7 3 2.

Biblia Heb. in 8. Amſtelod. Athias anno 492.

Apud

Digitized by Google

Apud Iudaeum Venetum conſpexi horum Bibliorum exemplar, quod modo in manus devenit clar. amici mei Gallicciolli. In fronte legitur impreſſa fuiſſe בשנת וידע אדם עוד את אשתו והלד בן לפק. In duobos aliis titulis legitur aera בהמים, ſeu 492. Excuſa dicuntur Amſtelodami in typographia celeberrima potentis Abrahami filii ſenis illuſtris Raphaelis Ezechiae Athias. Numeris arabicis verſiculi in margine numerantur. Keri et Chediv extant in margine, nec ullae latinae poſtillae conſpiciuntur. Ioſue XXI, 35. 36. ſuo loco reperiuntur celeberrimi hi verſiculi. Explicit editio luculenta Tabula ſectionum Prophetarum, ac Legis, quae diebus feſtis leguntur.

1 7 3 3.

Pſalterium Heb. et Iudaeo-germanicum cum Scimusc Teilim, ſeu uſu Pſalmorum 16. Amſtelod. Proops anno 493.

Adduntur nonnullae preces, et Nachmanidis *Redemptio animae.* Extat in Caſanatenſi, et notatur in Catalo T. II. pag. 650.

Pſalterium Heb. cum Com. Kimchii in 12. Pragae anno 493.

Ex Ms. nota Amſtelodamenſi.

1 7 3 4.

Pentat Heb. charactere minori in 12. Amſtelod. Proops anno 494.

ex eadem nota Ms. Amſtelodam.

• Eſther Heb. Cum Targ. Poſteriore, et Comm. Iarchi in 4. Amſtelod. anno 494. In domo et typogr. R. Hirz Levi Medici. Vterque textus ſacer et Targumicus exaratus eſt charactere quadr. cum punctis, ille maioribus, hic minoribus typis. Editio novo titulo inſignita, ſed quae partem, vel Appendicem conſtituit Pentateuchi. Folio enim 2. praefixus eſt num. 326.

• Pſalterium Heb. in 16. Venet. ex Typogr. Bragad. anno 494.

Anno כי גאלתיך opera praefecti typographiae Biniamini filii Aaronis Poloni.

Digitized by Google

1 7 3 6.

Pſalterium Hebr. in 16. Venet. anno 496.
Vidi apud Iudaeos Liburnenſes.
Pſalterium Hebr. 12. Amſtelod. Athias anno 496.
Habui ipſe prae manibus Mutinae.

1 7 3 8.

Pſalterium Heb. in 16. Venet. per Meir de Gara anno 498. anno מנ֗חת. Vidi apud Iudaeos Venetos.

1 7 3 9.

Biblia Hebr. in 4. mai. Venet. ex Typogr. Bragadina anno min. ſupput כל מעשה ידך, ſeu 499, et 501.

Praemittitur Gramm. Hebr. Calimani, rabbini Veneti adhuc viventis, et ad marg. exhibetur explicatio vocum difficiliorum lingua Italica. Extant etiam huius editionis exemplaria, quae in gratiam Iudaeorum Hiſpanorum hanc difficiliorum vocum explanationem exhibent lingua hiſpanica.

1 7 4 0.

Biblia Hebr. in 8. 4. Voll. Venet. ex Typogr. Vendramina anno ושמחה ימצא, ſeu 500.

Facta eſt per manus Davidis filii Raphaelis Chaiim Bueno, ſumptibus Meir de Zara. De hac editione conſulatur etiam Catat. Caſanat. T. 11. pag. 648.

1 7 4 1.

Pentat. Heb. cum V. Megh. et Apht. in 4. Ven. an. 501.

Vidi Romae hanc editionem, quae Ezech. XXXVI, 23. in Apht. huius loci habet in textu לעיניהם, et ad Marg. סא לעיניכם.

* Biblia Heb. Zullichovii 1741. in 4. mai.

In hac editione, quam nuperrime amici votis et uſibus conceſſi, illud ſingulare, quod latinorum librorum more evolvitur a dextera ad ſinis,

Digitized by Google

ſiniſtram, quod et in Reineccìana anni 1739. factum animadvertit Maſchius.

Pſalmi qui recitantur in officio B. Virg. cum Canticis, Hebraice, Graece, latine, Italice, et Gallice, in officio Pentaglotto Ianuarii Xiſti in 8. Neapoli hoc anno edito.

1 7 4 2.

• Pentateuchus cum V. Megh. et Apht. in 4. Mantuae anno כל קניגך קנה בינה ſeu 502.

Editio facta iuxta recenſionem Norzii, ut monetur in titulo, in domo doctoris Raphaelis Chaiim de Italia per Ioſuam fil. Michaelis Maſitzi, ut ibidem legitur, vel per Iudam Iſraelem filium Biniamini Polacco, ut legitur ad calcem. Idem character cum Bibliis Norzianis hoc anno editis, eadem linearum vel textus diſpoſitio retenta, niſi quod Norzii Commentarius ſublatus ſit, ex textus ſolus integram paginam expleat, et V. Meghilloth, et Aphtaroth ſub finem adiectae ſint. Pentat. cum V. Megh. conſtat foliis 96, Aphtarae vero foliis 38.

V. Meghilloth cum Targum in 8. Ven. ex Typogr. Bragad. an. 502.

Vtraque cum punctis, charactere quadrato. Habui prae manibus Florentiae.

Pſalterium Hebr. cum Comm. R. Raphaelis Emmanuelis Riki in Fol. Liburni anno 502.

Sub titulo חזח ציון, et in domo Abrahami ben Raphael Meldola.

Liber Iobi Heb. et Lat. in 8. Londini in anno 1742.

Ex latina verſione Schultenſii, et cum notis Grey.

1 7 4 4.

Biblia Hebr. cum Comm. Raſci, et Verſione hiſpanica, tum ſacri textus, tum Comm. Raſciani in 4. 3. Voll. CPoli anno לדעת, ſeu 504.

Vidi Liburni hanc editionem, quae charactere hebr. cum punctis curata eſt, tum quoad textum tum quoad Commentarium, et eamdem proculdubio arbitror cum ea, quam auctor noſter pag. 112. refert ad ann. 1739; etſi mentionem non faciat verſionis hiſpanicae. Fieri tamen poteſt

eſt, ut pro Iudaeorum more alia exemplaria edita ſint cum Targum ſine verſione hiſpanica, alia vero cum Verſione ſine Targum paucis poſt annis.

1745.

Pentateuchus Hebr. cum V. Megh. Apht. Targ. et Comm. Iarchi 4. Venet. anno 505. min. ſupp.

Vid. apud Iudaeos Alexandrinos.

1746.

Pentat. cum 3. Targumim et Variorum Commentariis in 8. 5. Voll. Francof. ad Oder. anno 506.

Catal. Biblioth. Oppenheim. N. 524. pag. 31.

Pentateuchus minoribus typis 12. Amſtelod. an. 506.

Ex edit. R. Kaſman. MS. nota Amſtelodamenſis.

Pſalterium Hebr. 12. Ven. anno 507.

Extat et Vidi in Bibliotheca Propagandae Fidei.

1749.

Pentat. cum Targ. V. Megh. Apht. et Comm. Raſci in 4. 2. Voll. Amſtelod. anno 509.

Typis Hirz. Levi. Exhibet etiam Targum poſterius in Eſther, et aliorum obſervationes. Extat in Caſanatenſi. V. Catal. T. II. pag. 649.

Aphtaroth cum Targum in 8. Florentiae anno 509.

Ex Typis Iſaaci filii Moſis de Pas. Habui prae manibus Florentiae.

1750.

Pentateuchus cum V. Megh. et Apht. in 8. Venet. anno 510.

Pſalterium Hebr. cum Comm. R. Abrahami Chaiim Coèn in 8. CPoli anno 510.

Commentarius habet titulum ארץ חיים. Vidi Liburni apud Iudaeos.

1751.

1 7 5 1.

Pentateuchus Hebr. mai. typis cum Comm. דברי אמת in 4. Amſtelod. Proops an. 511.

Catal. Biblioth. Oppenh. pag. 25. n. 427., et Mſ. nota Amſtelodamenſis.

1 7 5 3.

Pentateuchus cum V. Megh., et מלמד שיח in 8. Francof. ad Oder. anno 513.

Idem Catal. Biblioth. Oppenheim. pag. 31. num. 540.

* Biblia Hebr. Simonis in 8. 2. Voll. Proſtant Amſtel. apud Iacobum Weſtein MDCCLIII.

Novus titulus rubro - niger Simonianis Bibliis anni praecedentis 1752 Halae excuſis praefixus, qui in meo exemplari cernitur. Idem titulus huius anni et loci praefixus eſt etiam Dictionario Heb. Chald., quod ad calcem adnectitur. Amſtelodami recuſa etiam videtur integra Simonis praefatio nitidiori chartae, ac typorum genere, ac praeterea titulus alter aeri inciſus, qui priorem illum praecedit, Arcam, Sanctum Sanctorum, Moſen et Aaronem repraeſentans.

1 7 5 4.

* Geneſis Hebr. cum Propheticis Sectionibus huius Libri in 4. Florentiae MDCCLIV.

Aeram hanc exhibet titulus Italico idiomate, ac litteris, ſed hebraica alia tum in eodem titulo, tum in altero figurato in aere inciſo, qui praecedit, exhibet annum Iudaeorum min. ſupp. 515. priori loco deſignatum vocabulo הַצְלוּת, poſteriori voc. ישירה ex hoc patet editionem factam fuiſſe anno noſtro 1754 exeunte, ſeu poſt menſem Septembris huius anni, quo annus Iudaeorum novus inceperat. Titulus libri eſt: „Ordo Paraſcioth, et Aphtaroth libri Geneſis cum cor„rectionibus Or Tora ad marg., magno ſtudio correctus, et ſeptu„plum purgatus . . . in Typographia illuſtri Iſaaci fil. Moſis de Pas „Florentiae.“ Character eſt quadratus luculentus cum punctis et accentibus. Fol. 40. novo adiecto titulo reperiuntur Aphtaroth, quae ex-

pliciunt fol. 52. Editor ex hiſpanica rituum libri legis explanatione, quae praecedit, hiſpanus certe fuit, et ex rubr. praefatione ab eo praefixa totum Pentateuchum, immo integra Biblia edere conſtituerat. „*Vide*, inquit is, coepi dare in conſpectu tuo legem hanc, quam po- „ſuit Moſes ante filios Iſrael. Deinde vero rurſus videbis, ſi Deo „placebit, Biblia *perfecta*.“ Sed hoc conſilium perficere non potuit, nullusque alius ſacrorum librorum praeter hunc Geneſeos editus eſt. Membranacea etiam huius editionis exemplaria cuſa ſunt, ex quibus unum, quod apud me extabat, nuperrime amici votis conceſſi.

* Pſalterium Hebr. in 16. ex Typographia Bragadina anno 514.

Anno הללו אל בקרשׂו impenſis Samuelis Foà, ut notatur in fronte.

1 7 5 5.

• Pentateuchus cum Aphtaroth in 16. 5. voll. Venet. ex Typogr. Bragadina anno שביענו מטובך, ſeu 515.

Opera Gad filii Samuelis Foà, ut habetur in titulo 1. Voluminis, vel opera praefecti typographiae Mardochaei filii Salomonis Tzivithae, ut legitur ad calcem. Vnicuique libro Pentateuchi ſubiunguntur Propheticae ſectiones eiusdem libri. In titulo annuntiantur etiam V. Meghilloth, ſed in opere deſunt.

Biblia Hebr. cum Comm. Raſci, et expoſitione germanica 4. Amſtelod. anno 515.

In domo R. Kaſman. ex Ms. nota Amſtelodamenſi.

1 7 5 6.

Pentateuchus Heb. cum Verſione Iudaeo - teutonica 4. Amſtelod. anno 516.

Cura eiusd. R. Kaſman. ex eadem nota Ms.

1 7 5 9.

Pentat. cum Comm. Alſceck in 4. Zullichav. anno 519.

Ex ead. nota Amſtelodamenſi.

* Pſal-

Digitized by Google

* Pſalmi Octo, et excerpta Biblica in ordine lectionis *Audi Iſrael* 12. Taurini an. 519.

Sexcenties editus hic ordo Venetiis, Amſtelodami, et alibi.

1 7 6 0.

* Pſalterium Hebr. in 16. Taurini anno 520.

Ex Typographia Rocchi Fantini opera typographi Iohannis Zeui filii R. Ioſephi Chaiim Ketzigen Taurinenſis, ut legitur ad calcem libri.

1 7 6 2.

Pent. Heb. cum Targ. typ. minimis 12. Amſtelod. Proops an. 522.

* Biblia Heb. Iablonskii 12. 2. Voll. Berolini et Halae.

Novus titulus, ſed vetus editio anni 1711, ut patet ex titulis uniuscuiusque voluminis. Cum titulo recuſa etiam videtur hoc anno Iablonskii praefatio. Maſchius hanc editionem refert ad an. 1712., ac forte annum hunc in titulo prioris volum. prae ſe ferunt antiqua exemplaria.

1 7 6 3.

Pentat. Hebr. cum Comm. Alſceck 4. Francof. ad Oder. an. 523.

Pentat. Tikkon Sopherim cum Comm. Raſci et Aphtar. in 8. Amſtelod. Proops anno 523.

1 7 6 4.

Pentat. Hebr. cum Variorum Commentariis in 4. Amſtelod. Proops anno 524.

Tum haec editio, tum binae praecedentes fidei innituntur Ms. notae Amſtelodamenſis.

1 7 6 5.

Pentat. Hebr. cum Comm. Raſci, et דבק טוב, et Comm. Chinuch 4. Amſtelod. Proops anno 525. ex ead. nota ſaepe allata.

Pſalterium Hebr. cum Comm. Kimchii in 4. Amſtelod. anno 525.

Opera Gerardi Ioh. Ianſonii in domo Iſraelis Mondovi anno 525. Vidi apud Iudaeos Liburnenſes.

* Eccleſiaſtes Hebr. cum Verſione, ex expoſitione Italica P. Carmeli Profeſſoris olim Patavini in 8. Venetiis ex Typogr. Baglioni anno 1765.

Praemittitur Hebraeus contextus, qui 13. foliis abſolvitur. Eum excipit Verſio, et explanatio italica unicuique verſiculo ſubiuncta, quae conſtat paginis 200. Titulus italicus operis eſt: „Spiegamento „dell' eccleſiaſte ſub teſto ebreo, oſia la morale dell' uman vivere in„ſegnata da Salamone."

Eccleſiaſtes et Proverbia cum Comm. ſub titulo שנות חיים in 4. Amſtelod. anno 525. Nota Amſtelod. Ms.

1 7 6 7.

Pentateuchus Hebr. cum triplici Targ., Maſora, V. Megh., Apht. Targum poſter. in Eſther, et Comm. שפתי חכמים in 4. 5. Voll. Divoduri (Metz) anno 527.

Sub Ludov. XV. ex Typographia Ioſephi Antoine Typographi Regii. Vidi apud Iudaeos Taurinenſes.

* Pſalterium Hebr. cum verſione Iudaeoteutonica in 16. Amſtelod. anno 527.

In domo, et ex Typographia Fratrum Ioſephi filii Iacobi, et Abrahami filii Salomonis Proops conſtat foliis 213.

1 7 6 9.

Pentateuchus Heb. Tikkon Sopherim 8. Amſtelod. anno 529.

In domo, et cura R. Kaſman. Nota Amſtelod.

Pentat. Heb. Tikkon Sopherim 8. ibid. eodemque anno.

Cura R. Piſa in domo Ianſonii. Ex eadem nota.

1 7 7 3.

Iob Hebraice cum Italica Paraphraſi metrica Hyacinthi Ceruti in 8. Romae 1773.

Hoc

Hoc anno recudit Auctor Italicam Paraphraſin, quam Taurini vulgaverat, eique ſacrum textum maioribus typis adiecit. Titulus italicus libri eſt: „Il Libro di Giobbe recato dal teſto ebreo in verſi „italiani dall' abate Giacinto Ceruti dottore di Teologia. Seconda „edizione corretta, aumentata, ed arrichita col Teſto Originale, e „con note. Per Arcangelo Caſaletti.“ V. etiam Ephemerid. Roman. huius ann pag. 185. num. XXIV.

1 7 7 5.

Pentat. Hebr. accuratiſſimus in 4. Amſtelod. Proops an. 535.

Pentat. Hebr. cum Comm. Raſci, et מלמר שיח 4. Amſtelod. Proops anno קהלת 535.

Vterque ex fide Ms. Notae Amſtelod.

1 7 7 6.

Pentat. Heb. cum Targ., V. Megh., et Apht. in 4. Venet. anno מצות 536.

Ex Typogr. Bragad. ex mandato Ead filii Samuelis Foa duabus columnis, quarum altera Hebr. textum, altera Targum complectitur. Conſtat foliis 363.

Pentat. Hebr. cum Comm. Raſci Targ., et רבק טוב 4. Amſtelod. anno 536.

Cura R. Kaſman. Nota Amſtelod.

1 7 7 7.

• Pentateuchus cum V. Megh., et Apht. 8. Venet. anno 537. ex Typographia Bragadina.

Anno לראשו ex mandato R. Gad filii R. Samuelis Foa, typographi in duabus Typographiis Bragadina et Vendramina. Ad calcem nominatur operi praefectus Mardochaeus fil. R. Salomonis Tzivitha. Conſtat foliis 350.

• Pſalterium Hebr. in 8. Mantuae anno 527.

Anno ויתהללו כל in domo doctoris Eliazeris Salomonis de Italia. Operi praefectus ad calcem dicitur Iekuthiel fil. R. Iſaaci Kotzir, eius autem adiutor Abſalion fil. R. Iſaaci Aboav. Conſtat foliis 71.

Pſalter. cum Comm. Kimchii 12. Amſtelod. an. ויתהללו כל 537.

Digitized by Google

1778.

* Pſalmus 1. Polyglottus, Hebr., Graece, Syr. ex duplici Verſ., et Latine cum not. hexapl. Origenis, et Diatriba de Codice Ambroſiano mei cura ac ſtudio in 4. Parmae ex Regio Typographeo.

1779.

* Pſalterium Hebr. in 16. Piſis ex Typographia Samuelis Foa anno אל תעזבני, ſeu 539.

1780.

Pſalterium Hebr. 16. Venet. ex Typogr. Bragadina כי ישר 540.

Impenſis Meſcullam Aſchenazi Finzi, et ad uſum eius filii Iacobi, et cum Italica approbatione ſub finem.

* Selecta Prophetarum Oracula Hebraice cum notis in 8. ſine anno et loco, ſed Romae hoc anno.

Vna plagula, ſeu paginis 16. Oracula producuntur ex Pſalmis, Iſaia, ac Daniele.

* Biblia Hebr. cum duobus commentariis in 8. Liburni anno 540. et ſeqq.

Anno hoc edi coepta ſunt haec Biblia cum duplici commentario מצודת דוד, et מצודת ציון. Hucusque editi ſunt ſequentes libri, Ioſuae, Iudices, Samuelis Libri, Libri Regum, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Pſalterium, Proverbia, Iob, et Daniel. Singulae hae partes totidem voluminibus conſtant, et omnes duplici illo commentario ſunt ſtipatae. Reliquae ſunt ſub praelo. Illud a me obſervatum eſt editorem ſequi Biblia Norzii, eiusque Lectiones, et emendationes, ac Prov. VIII, 16. legere שפטי צדק.

Selecta V. T. Capita Proſaica ac Poëtica ex editione Schulzii Ling. OO. Profeſſ. Gieſſ. 8. Halae.

Extant in eius *Hebraiſches Elementar Buch*, cuius Pars I. ſeu Proſaica, prodiit anno 1780, altera ſeu Poetica, anno 1781. Reiectis accentibus ad membrorum diſtinctionem adhibet editor ſigna apud latinos uſitata, notas et obſervationes criticas Textui ſubiicit, ſub finem vero

Digitized by Google

vero in Additamentis Kennicottianorum codicum fide conieſturas ſuas confirmat.

* Selecta Veteris Teſt. Capita Hiſtorici Argumenti cura et cum notis Cl. Hufnagelii 8. Norimb. 1780.

Liber, quem auctoris doctiſſimi, meique amiciſſimi beneficio debeo, faciliori linguam Hebraeam docendi diſcendique rationi accommodatus eſt. Excerpta haec hauſta ſunt ex editione Hoogtiana, notisque Philol. ac Criticis illuſtrata.)

* Primus Pſalmus Hebr. cum notis Conr. Antonii 8. Vitebergae 1780.

Hunc Pſalmum ſpeciminis gratia edidit auctor Vitebergenſis Linguarum Oo. Profeſſor, qui benevole illud ad me transmiſit. Conſilium ſuum exhibet Praefatio, ac Titulus ipſe: „Editionis, in qua „Pſalmi ad metrum revocabuntur et recenſebuntur varietate lectionis „et perpetua annotatione illuſtrabuntur ſpecimen ect.“

Pſalterium Hebr. 12. Amſtelod. anno 540.

Vidi apud Iudaeos Taurinenſes anno ב״ ישׁר impreſſum opera Ioh. Ienſon, et Iſraelis Mondovi. In Adverſariis meis reperio etiam notatum ר, ut in ſupputationem veniens, quod tamen eſſe nequit, niſi alterutrum Iod, quod ſuſpicor, omittendum ſit. Si haec coniectura confirmatur, vel admittitur, editio amandanda eſt ad an. 534, ſ. 1774.

Pſalterium Hebr. cum Comm. Kimchii 4. ibid. eodem anno.

Ab iisdem etiam Typographis curata editio, quam una cum praecedenti habui prae manibus, et de qua eadem militat ſuſpicio amandandam eſſe ad annum 1774.

1 7 8 1.

* Pſalterium Hebr. in 12. Mantuae anno 541.

Ex Typographia doctoris medici Iudaei Eliëzeris Salomonis de Italia, et opera artificum Matathiae filii Iehudae Samuelis Chai Levitae, et Salomonis Chaiim fil. Iehudae Ariani. Sub fin. habentur nonnullae preces, et Tabula Pſalmorum, conſtatque liber foliis 128.

* Pſal-

Digitized by Google

Pſalmus LXVIII. Hebr. cum Verſ. vulgata lat. et Italica expoſitione P. Hintz Regii Profeſſoris Calaritario 4. Calar. MDCCLXXXI.

Sub titulo *Salmo LXVII. exurgat Deus expoſto dall' ebraico originale.* In hac expoſitione, quam potiſſimum Italicae Xaverii Mattei Neapolitani Verſioni ac Paraphraſi metricae opponit auctor, integer huius Pſalmi textus hebraice ſine punctis producitur.

Pentateuchus Hebraeus et Iudaeo - Germanicus unacum Tikkon Sopherim, ſeu notis Criticis, ac Commentario Moſis Mendelſonii in 8. 5. Voll. Berolini, ſub praelo.

Huius Pentateuchi, cuius ſpecimen paucis abhinc annis auctor Amſtelodami vulgaverat, bini priores libri, ſeu Geneſis et Exodus, binis etiam voluminibus, quae prae manibus habeo, prodierunt. In eo multo plenius exhibetur Tikkon Sopherim ex Lonzano, Todroſio, Norzio, Mss. editisque Codicibus collectum, ſed quod pro Iudaeorum more litteras potiſſimum plenas, ac deficientes, accentus, aliaque eiusmodi minoris, immo vero minimi momenti reſpicit. Mss. codicibus hucusque productis unicum addit auctor integrorum Bibliorum in eius manibus extantem anni 249, Chriſti 1489, recentioris, ut vides, aetatis, ſed quem ille, quod ſummopere mireris, perpetuo ישן נושן antiquiſſimum appellat. Ex editionibus ſaepe eum uti video Iablonskii Bibliis anni 1699. Iudaicum etiam ingenium ſapit commentarius, qui adnectitur.

Biblia Hebr. cura ac ſtudio Scheidii Profeſſoris Harderoviciani.

Scheidius, ut ex doctiſſimi Doederleinii litteris intelligo, Hebraeum Textum reformatum in hiſce Bibliis edendum ſuſcepit, ſed liberius, quam religio critica patitur, ac nimium tribuens LXX. Verſionis autoritati. Excuſa iam ſunt tria capita Geneſeos octo plagulis.

VA1 1518035

Digitized by Google